

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

P.C.N.  
'92 05

T1-245

*P. Lad Paffroy.*

*pt.*

Ferdinandi Molitor.  
Br. & K. N. 3. St. off. 169.

2411



RUDIMENTA  
HISTORICA  
OPUSCULUM PRIMUM  
HISTORIÆ BIBLICÆ

АТИЕНДАУЯ  
ЛЮДОТВИ

СЕЧЬЮ ОБРАЗО

СОЛНЦЕ СЛЯСТИ

# RUDIMENTA HISTORICA,

Sive brevis, facilisque

## METHODUS

Juventutem Orthodoxam notitia  
historica imbuendi,

PRO GYMNASIIS SOCIETATIS JESU.

A U C T O R E

Eiusdem Societatis Sacerdote.

## OPUSCULUM PRIMUM,

Historiæ Biblicæ.

Cum Privilegio Sacrae Cæsareæ Regiæque Majestatis.



CLAUDIOPOLI,

TYPIS ACADEMICIS SOC: JESU.

ANNO M DCC LXII.

# PRÆFATIO.



Ucubrationem hanc, & quas deinceps  
DEO auspice typis vulgabimus, non  
Eruditorum, sed tyronum duntaxat usui  
destinamus compendiaria quadam ostensa via, quam hi  
sine pensi scholastici, alias persolvendi, detimento inof-  
fenso possint pede decurrere. Hinc Methodo usi sumus,  
jam olim a Ven. P. Canisio nostro usurpari solita, ut  
pote rudium captui imprimis accommodata. Nec pauca  
hic consulto omisimus, quæ alii fuse pertractant: multæ  
etiam cursim, ac breviter attigimus, quæ prudens Præ-  
ceptorum supplebit industria, dissentium orexim ita ex-  
citando, ut nimia rerum copia nauseam ne moveant. Ad-  
ditæ quoque suis sunt locis Historicæ quædam observatio-  
nes, ut Juventus jam nunc assuecat, non in nuda dun-  
taxat rerum narratione, velut cortice bærere, sed ipsum  
adeo nucleus, sub ea latentem, vestigare, utilissima recte  
& sentiendi, & vivendi documenta inde eruendo. Cœ-  
terum usus ipse ac experientia docebit brevi, quid bisce  
Opusculis addendum, quid demendum videatur. Nobis  
sufficiat Methodum præbuisse, qua ruditis adbuc ætas ma-  
nu quasi ducatur ad Historicum illud studium, prope im-  
mensum, alacriter ingrediendum. De Chronologia por-  
ro, & aliis, in quibus ipsimet Scriptores hodie dum in-  
ter se discrepant, nihil in medium afferemus, quod Au-  
torum probatissimorum testimonio confirmari non possit.



## Partitio hujus Opusculi.

### P A R S I.

*De Patriarchis ante Diluvium.*

- Cap. I.** De Creatione mundi, & lapsu Adami.  
 §. I. Creatio mundi. II. Adami lapsus & supplicium.  
**Cap. II.** De Adami posteris usque ad diluvium.  
 §. II. De Abele, & Caino. II. De Filiis Dei, & hominum.

### P A R S II.

*De Patriarchis post Diluvium usque ad Abrahamum.*

- Cap. I.** De Filii Noemi.  
**Cap. II.** De Turri Babylonica.

### P A R S III.

*De Patriarchis reliquis usque ad Judices Hebreorum*

- Cap. I.** De Abrahamo.  
 §. I. Abrahami res gestæ ante natum Isaacum.  
 §. II. Ejusdem res gestæ post natum Isaacum.  
**Cap. II.** De Patriarchis Isaac, & Jacob.  
 §. I. Isaac. II. Jacob.  
**Cap. III.** De Patriarcha Joseph.  
 §. I. Josephi res gestæ ante venditionem.  
 §. II. Ejusdem varia fortuna in servitute Ægyptiacæ.  
 §. III. Ejusdem ad summas dignitates promoti præ-clara facinora.

- Cap. IV.** De iis, quæ Israelitis a morte Josephi evenere.  
 §. I. Israelitarum in Ægypto servitus, & vexatio.  
 §. II. Liberatio eorundem per Moysen.

## P A R S IV

*De Iudicibus Israëlitarum, eorumque regimine.*

**Cap. I.** De 40. annorum profectione populi Israelitici per desertum Moysè ductore.

§. I. DEI erga gentem Hebræam beneficia.

§. II. Ejusdem cum alia, tum ingrati præcipue animi crimina.

§. III. Supplicia eidem a DÉO irrogata.

**Cap. II.** De Iudicibus post obitum Moysis usque ad Gedeonem.

§. I. Josue. II. Othoniel, Aod, Debora, & Barac.

**Cap. III.** De 8. Iudicibus proxime succedentibus usque ad Samsonem.

§. I. Gedeon. II. Abimelech, Thola, Jair, Jephete, Abesan, Ajalon, Abdon.

**Cap. IV.** De tribus postremis Iudicibus.

§. I. Samson. II. Heli, & Samuel.

## P A R S V.

*Reges Hebræorum.*

**Cap. I.** De Rege Saule.

§. I. Saulis res gestæ, ejusque repudiatio.

§. II. Saulis a Deo reprobati facinora.

**Cap. II.** De Rege Davide.

§. I. Davidis præclara initia, ejusque lapsus.

§. II. Pœnitentia, & vitæ exitus laudatissimus.

**Cap. III.** De Rege Salomone.

§. I. Salomon Regum Sapientissimus.

§. II. Idemque insipientissimus.

**Cap. IV.** De rebus Israëlitarum:

§. I. Novem Reges Israëlis usque ad extirpationem impiæ stirpis Achab.

§. II. Reliqui decem Reges Israëlitarum usque ad regni illius interitum.

**Cap. V.** De Regibus Judæ.

§. I.

§. I. Duodecim Reges Juda a Roboamo usque ad Ezechiam.

§. II. Octo Reges Juda usque ad captivitatem Babyloniam.

## P A R S VI.

*De Captivitate Babylonica, & quæ post hanc usque ad Hierosolymæ excidium contigere.*

*Cap. I. De Captivitate Babylonica sub Monarchis Assyriis.*

*Cap. II. De rebus gestis Judæorum sub Monarchis Persicis.*

*Cap. III. De iisdem sub Monarchis Græcis.*

§. I. Judææ status tempore Alexandri.

§. II. Ejusdem varia fortuna sub Regibus Ægyptiis.

§. III. Sub Monarchis Syriis.

§. IV. Sub Hebreis Pontificibus, regium sibi titulum vendicantibus.

*Cap. IV. De rebus Judaicis sub Monarchis Romanis.*  
Appendix de excidio urbis Hierosolymæ.

## I S A G O G E,

Sive præviæ quædam Quæstiunculae

De Historia generatim.

1. *Quid est Historia?*

Est rerum ab orbe condito ad hæc usque tempora gestarum notitia, & commemoratione.

2. *Quotuplex est Historia?*

Est præcipue duplex. Sacra scilicet, sive Ecclesiastica, & profana, sive Politica.

3. *Quid est Historia Ecclesiastica?*

Est notitia rerum, ad Ecclesiam, & Religionem, ejusque cum propagatio nem, tum infectionem, alias que hujusmodi vicissitudines pertinentium.

## 4. Quid est Historia Politica?

Est rerum in statu ac ordine Politico, belli pacisque temporibus gestarum notitia.

## 5. Cur in Historiae studium praecipue incumbendum?

Quia praeter singularem animi oblectationem, ad scientias plerasque omnes, imo & quotidianam vitam consuetudinem non utilis modo, sed plane necessaria est.

## 6. Quid ergo potissimum ex Historia discimus?

Docemur inde: 1. Summam Dei Sapientiam & Prudentiam ubique agnoscere, mirari, atque adorare, utpote quae in hoc mundi theatro tam mirificos rerum eventus identidem nobis spectandos exhibit. 2. Quanto Dei amore ac benefi ciis bonis prosequi tutarique; quanto vero odio ac suppliciis efficiere improbos serius, citiusque semper affliverit. 3. Perpetuae rerum conversiones ac vicissitudines, quas omnes loquuntur Historiae, evidenter demonstrant, quam fluxa & inania sint terrena haec omnia, atque adeo quam parvi, imo nihil facienda. 4. Tam proborum virtutes, quam vitia pravorum, qui aetate nos antecessere, speculi instar nobis sunt, in quo clare dilucideque possimus perspicere quid agendum nobis, quidve cavendum sit &c.

## 7. Cur Historia hoc maxime tempore est necessaria?

Cui, hoc praesertim tam eruditio ac delicato saeculo, cum viris honorioribus versandum est, stupiditatis atque inscitiae notam effugere vix poterit, nisi Historiarum notitia, non mediocri sit imbutus.

## 8. Quibus adminiculis comparanda Historiae notitia?

Sedula Magistrorum auscultatione, lectione non vacua & confusa, sed certa & destinata, ac iterata eorum, quae quis legit, auditque ruminacione.

## 9. Quid Tyroni &amp; Candidato Historiae praeципue attendendum?

Ut totius Historiae seriem quandam, ac praecipuas rerum regnorumque mutationes, & temporum periodos cum Chronologia accurate observet. In subsum

dium quoque vocanda Geographia ; hanc enim , & Chronologiam geminos Historiæ oculos merito quis dixerit . Tandem adolescentes jam nunc ex actis præsertim memorabilibus observationes varias , & documenta ad mores formandos idonea colligere , atque alieno periculo sapere discant .

# LIBER PRIMUS.

## Historiæ Biblicæ.

### Proœmium.

1. *Quibus de rebus præcipue meminit hæc Historia ?*

De iis potissimum , quæ a mundi primordio ad Christi adventum populo evenere .

2. *Unde haurienda Historiæ hujus notitia ?*

Ex veteris Testamenti libris , qui Deo dictante , a Moyse , Josue , Samuele , Esdra , aliisque Sacris Scriptoribus sunt literis consignata .

3. *Cur in Sacra bac Historia primum , ac præcipuum ponendum est studium ?*

Eam ipsam ob causam , quod instinctu , afflatusque divini Spiritus ad nostram institutionem , utilitatem , ac disciplinam sit conscripta .

4. *Suntne monumenta hæc Biblica ad Ecclesiam potius , an Politicam Historiam referenda ?*

Ad utramque referri possunt ; si enim consideremus statum Hebræorum Ecclesiasticum , ad Ecclesiasticam si Politicum , ad Historiam pertinebunt Politicam .

5. *Quænam Epochæ in bac Historia potissimum sunt considerandæ ?*

Sequentes sex :

1. Diluvium anno mudi millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto ( 1656 . )

2. Vocatio Abrahæ anno mundi bis millesimo centesimo octavo. ( 2108.)
  3. Exitus Israelitarum ex Ægypto, anno M. bis millesimo quingentesimo quadragesimo quarto. ( 2544.)
  4. Regni Hebræorum exordia in Rege Saule anno M. bis millesimo nongentesimo sexagesimo secundo. ( 2962.)
  5. Captivas Babylonica anno M. ter millesimo quadragesimo quodringentesimo sexto. ( 3446.)
  6. Christi Nativitas anno M. quater millesimo quinquagesimo tertio. ( 4053.)
  6. *Quot partibus constat hæc nostra Historia Biblica?*  
Sex, quæ fere cum totidem mundi ætatibus usque ad Christum natum congruunt, suntque sequentes;
  1. Ætas Patriarcharum ab Adamo ad Diluvium complectebatur annos sex, & quinquaginta supra mille sexcentos. ( 1656. )
  2. Ætas Patriarcharum post Diluvium usque ad vocationem Abrahæ numerabat duos, & quinquaginta annos ultra quadringentos. ( 452. )
  3. Ætas reliquorum Patriarcharum usque ad profectiōnem ex Ægypto, continebat sex, & triginta annos supra quadringentos. ( 436. )
  4. Ætas Judicūm a Moysē usque ad Reges fuit quadringtonitorum ac duo de viginti annorum. ( 418. )
  5. Ætas Regum a Saule usque ad Captivitatem Babyloniam definiebatur annis quadringtonitis octoginta quatuor. ( 484. )
  6. Ætas Ducum, & Sacerdotum a Captivitate Babylonica usque ad Christum natum, sexcentis ac septem annis absolvebatur. ( 607. )
- Universæ fluxerunt anni quater mille quinquaginta tres.  
( 4053. )

# PARS PRIMA.

## De Patriarchis ante Diluvium

In sequentibus duobus capitibus agetur. 1. de Creatione Mundi, deque lapsu, & pœna Adami.  
 2. De posteris Adæ ante Diluvium.

### C A P U T . I.

## De Creatione mundi, & lapsu Adami.

### §. I. Creatio mundi.

1. *Quis mundum hunc condidit?*

DEUS, cœlum & teram, & quidquid utriusque ambitu continetur, ex nihilo produxit sex dierum intervallo, et si puncto temporis omnia absolvere potuisset. Ac prima quidem die lucem, altera Firmamentum condidit: tertia aquas secrevit a terra, quam herbis ac stirpibus convestitam, omne genus frugum jussit progignere. Die quarta sol & luna cum stellis: quinta pisces & volucres, sexta quadrupedia, & reptilia omnis generis, ac tandem homo velut Microcosmus, seu rerum omnium aspectabilium breve quoddam, ac mirabile compendium est productus.

2. *Quomodo DEUS Adamum produxit?*

Corpori ex terra formato immortalem inspiravit animam; cui Divinitatis suæ quasi sigillum, & imaginem ita impressit. ut tres unius animi Facultates, tres unius DEI Hypostases quodammodo exprimerent.

3. *Quid DEUS die septimo a mundi productione porro egit?*

A novis dein rebus condendis cessavit, diemque hunc *Sabbathi*, hoc est. *Quetiis*, sibi sacrum esse voluit, donec *Sabbathi* loco diem *Dominicam*, qua Christus suo ad vitam reditu mundum reparavit, celebrari jusserit.

## §. II. Lapsus & poena Adami.

### 1. Ecquisnam erat locus Paradisus?

Hortus erat longe amoenissimus, omnibusque deliciis affluens, Dei ipsius manu consitus, in quo duæ præcipue arbores eminebant: altera Vitæ, altera Scientiæ boni & mali appellata. Huc Deus Adamum translatis, facta potestate omnibus horti fructibus vescendi, unica duntaxat arbore Scientiæ excepta, de qua nequid decerperet, sub mortis pœna vetuit, fidei ejus, ac obedientiæ periclitandæ causa.

### 2. Ubinam, quoque modo Evam condidit?

In Paradiſo Adæ dormienti costam exemit, atque ex ea Evam formavit, comparem, & adjutricem Adamo futuram.

### 3. Qui vero bis tantis beneficiis ambo respondere?

Pessime: Eva enim fraude mali Genii, ex serpente loquentis, inducta, vetitum gustavit pomum, & vivum, idem ut faceret, pellexit.

### 4. Qua demum ratione Veterator ille pomi prohibiti esum Evæ persuadere potuit?

Asseveraverat mendacissimus sycophanta: nequam ob degustatum fructum morte, uti Deus minatus fuisset, eos multatum iri; quin potius plenam rerum omnium notitiam adepturos, Deoque ipsi fore simillimos.

### 5. Quæ pœna hanc culpam exceptit?

Ambo innocentia veste spoliati, mox suam & videbunt, & erubuerunt nuditatem, quam proin connexis sicuum foliis obtectum ibant. Exin Deus, auditis, rejectisque putidis eorum excusationibus, suam utrique denunciavit pœnam, ac Evam quidem liberos suos cum dolore paritaram, virique sub imperio, ac potestate futuram; Adamum vero, postquam vitæ alimenta e terra sterili ac spinosa multo cum sudore ac labore collegisset, moriturum tandem, cum uxore & omnibus posteris, ac in eam, unde ortum traxisset, terram reversurum. Sub hac ambo Paradiſo æternum proscripsit,

pti, posteritatem omnem in commune secum pertransire exitum.

## C A P U T II.

### De Posteris Adami usque ad Diluvium.

#### §. I. De Abele, & Caino:

1. *Qui, qualesve hi ambo fuere?*

Adami uterque, Cain major, Abel minor natu filius erat: hic pascendis gregibus, ille agris colendis operam dabat: Abel summa erat integritate, ac innocentia: Cain contra perversis omnino moribus. Abel optima quæque Deo in sacrificium obtulit; Cain deteriora selegit hinc Deo acceptissimum erat Abelis sacrificium; Cain vero invisum prorsus & ingratum. Id quod tantum in hujus pectore concitavit invidiæ flamمام, ut fratrem de medio tollere decreverit; quem proinde amica in speciem invitatione in agros prolectum, crudelissime trucidavit.

2. *Qid perpetrata bac cæde Caino evenit?*

Ob immane hoc Parricidium a Deo vehementer objurgatus, non tantum penitentis araignum non dedit, sed spe omni Divinæ clementia abjecta, vagus ac profugus, quod vixit, oberrabat; nec tandem a Lamecho, abnepote suo, in sylva pro fera habitus, jaculo est transfixus.

#### §. II. De Filiis DEI, & Filiis hominum.

1. *Quinam erant Filii DEI?*

Adamo in Abelis locum natus est Sethus, Deo ob virtutis ac pietatis studium apprime charus: cuius Posteri erant Patriarchæ illi, qui una cum Filiis, partim ob Sethum, stirpis suæ auctorem pientissimum, partim ob suammet virtutem Filii Dei sunt appellati.

2. *Quinam ex his præ cæteris memorandi sunt?*

1. Enos, Sethi filius, qui primus Deum publicis, solemnibusque cæremoniis ac ritibus venerari cœpit. 2. Enoch, qui ob eximum avitæ religionis studium, &

sum-

summam cum Deo familiaritatem , vivus ex hominum cœtu divinitus est sublatuſ . 3. Mathusalem , qui vivendi limites , cæteris mortalibus a Deo præstitutos , longe supergressus , annos vixit nongentos sexaginta novem.

3. Quosnam facer *Historicus Filios hominum appellat?*

Impii Caini progeniem . Cainus hic primam urbem condidit , a filio Henocho Henochiam appellatam . Jubal musicam ejusque frater Tubulcain ferrariam , foror vero Noema Ianificium invenit . Venatoriam primus exercuit Lamech , longe diversus a Lamecho altero , Noëmi Parente .

4. Qui *Filiis Dei convenire potuit cum Filiis hominum?*

Sethi nepotes cum fœminis , a vitiosa Caini stirpe oriundis , inauspicata iniere connubia , e quibus prognati Gigantes , fœdissima illa scelerum monstra : quorum improbitas usque eo invaluit , ut orbis universus tunc mera esset vitiorum sentina , non nisi ultricibus Diluvii aquis eluenda . Unus Noemus tot inter malos bonus , & in obsequio Dei constans perststit .

### §. III. Diluvium .

1. Quænam Diluvium antecessere ?

Noe , vir iustus ac pius , quingentos tunc annos natus , arcam , seu navim prægrandem , trecentos cubitos longam , latam quinquagenos , ac tercentos altam , a Deo jubetur construere , in quam se ipse cum suis , ingruente cataclysmo , tuto possit recipere . Centum ipsos annos in ea fabricanda Patriarcha posuit ; idcirco passim ab omnibus ludibrio habitus , tanquam delirus senex .

2. Quid confecta demum arca contigit ?

Noe comportato undique necessario conmeatu , & pabulo , ex omni genere animalium , aquatilibus exceptis , immundorum quidem bina , mundorum vero se ptena in arcam , Dei iussu , & Angelorum subsidio , introduxit ; in quam ubi & ipse dein cum conjugé sua , & tribus filiis Semo , Chamō , & Japheto , horumque uxoribus pedem intulit , Deus ostium foris occlusit .

3. Quid

## 3. Quid ipso Diluvii tempore factum?

Quadraginta dies, noctesque continui non tam imbræ, quam rivi aquarum, ruptis cœli cataractis, præcipitarunt, mariaque insuper omnia, & quidquid aquarum in terræ visceribus latebat, tanto se impetu effundere, ut non orbem tantum universum inundarint, sed & altissimos montium vertices quindecim cubitis supergressa quidquid hominum, pecorumque terram hanc incoluerat, submerserint, solis iis, quos arcæ Deus incluserat, salvis relictis, anno ab orbe condito sexto & quinquagesimo supra millesimum sexcentesimum, ( 1656. )

## 4. Quam tandem tragœdia hæc catastrophen habuit?

Centum & quinquaginta diebus elapsis, quibus totus terrarum orbis immensi oceanus instar undique stagnaverat, Deus immisso vento calido, ac vehementi, aquas sensim ita imminuit, depulitque; ut arca post mensem a cœpto diluvio septimum in Armenia montibus conqueverit. Inde quarto post mense Noemus primo corvum, qui tamen carne, credo morticina illatus, reversus non est: deinde columbam post dies septem exploratum miserat, quæ, cum non haberet, ubi pedem figeret, arcam mox repetiit: septima post die denuo dimissa, virentem olivæ ramum retulit, pacis, & cessantis exundationis argumentum. Perstigit nihilominus in arca septem alios dies Noe. Cumque columba, quam tertium ablegarat, non rediisset, tandem ex arca, ubi per annum delituit, cum omnibus suis egressus, sacrificium Eucharisticum obtulit, Deo tantopere acceptum, ut promisso faniciverit, se nunquam deinceps mundum simili eluvione castigaturum, ejusque rei perenne signum fore arcum cœlestem. ( 1657. )

## Observationes ad primam Historiæ Biblicæ partem.

## 5. Cur Deus ab Adamo, mundoque dein universo tam severas expetiit pœnas?

Ut omnes Adæ Posteri commonesierent, quam grande,

de , nec una piandum morte sit nefas , Deo ipsi esse refractarium , ejusque voluntati atque imperio fese opponere.

2. Nullusne clementiae Divinae locus fuit in plectendo Adamo ?

Imo longe maximus : nam vel ante denunciatum supplicium , Christum humani generis vindicem , ac liberatorem venturum promisit , qui malo huic remedium præsentissimum allaturus esset.

3. Quodnam , & apud quos erat regimen Politicum ante Diluvium ?

Patriarchæ suam quisque familiam regebant . Caini vero Posteri , cum primi urbes frequentare cœperint ; Rempublicam ordinasse , communibusque temperasse legibus videntur .

## PARS SECUNDA.

### De Patriarchis post Diluvium.

In sequentibus duobus capitibus recensentur .

1. Tres filii Noe. 2. Ædificatio turris Babylonicae.

#### C A P U T I.

##### Tres Filii Noë.

1. Quid de tribus hisce filiis post diluvium memoratum dignum occurrit ?

Chamus parenti Noëmo , somno , vinoque , cuius vim ignoraverat , sepulto , ac indecenter denundato , proculciter illusit , erubescientibus , ac detestantibus fratribus proterviam Semo , & Japheto , quibus proinde Noë , re intellecta , bene precatus , Chami vero stirpem exeratatus est .

2. Quibus tunc terminis definiebatur hominum ætas ?

Post diluvium ne ullus quidem vitam ultra annum quingentesimum produxit ; cum tamen prius annos am-

amplius nongentos plerosque vixisse constet. Imo Abrahami ætate , annis a diluvio circiter quingentis , vix ullus annum ducentesimum complevit. Vita porro , ac viribus hominum horrenda illa eluvione haud parum imminutis , Deus ad imbecillitatis subsidium , vim , & carnes indulxit , cum antehac nonnihil oleribus ac leguminibus vesci plerique omnes consueissent.

3. Num tres filii Noe , uno semper eodemque in loco , ac regione habitarunt ?

Haudquaquam ; nam cum hominum numerus ducentos intra annos a diluvio nimium quantum multiplicaretur , alias sibi sedes querere cogebantur , Japeto Europa cum Asia minore ; Semo Asia , qua Orientem speciat : Chamo Africa cum Palestina , & Phœnicia obtigit. Prius tamen , quam omnis multitudo in diversas mundi partes commigraret , vesano prorsus fastu turrim ædificare decreverunt , cuius apex ad cœlum usque pertingeret.

## C A P U T II.

### Turris Babylonica.

1. Quem successum structura hæc habuit ?

Initio sat prosperum , don ec Dei insanam ædificantium arrogantiam castigaturus , sermonis commercium inopinato prodigo suscitavit , lingua , qua tunc omnes eadem utebantur , in plures divisa. Unde , cum alterius verba haud amplius posset percipere , cœpto erat desistendum.

2. Quid exinde consilii cœpere ?

Deductis in universum orbem coloniis , varias mundi regiones frequentare cœperunt ; hinc tanta nationum , linguarum , morumque diversitas.

3. A quo populus electus originem duxit ?

Ab Arphaxado Semi filio & avo Heberi , in cuius familia lingua Hebræa , a quo & Hebræi nomen ac genus traxere.

( 18 )

4. *Quis urbem Babilonicam condidit?*

Nemrodus Chami nepos, qui homines quā vi, qua  
dolo libertate spoliare, primusque Regios usurpare  
titulos cœpit anno 1879.

Observationes ad secundam Historiæ Biblicæ  
partem.

1. *Quæ altera bac mundi atate verum facies erat?*

Admodum tristis nam paucis, qui virtutem cole-  
bant, exceptis, plerique in deterius mutabantur, præ-  
cipue cum idolorum cultus cœpit introduci.

2. *Quæ, Linguae post repentinam illam idiomatum per-  
missionem etiamnum putantur esse reliquæ?*

Sequentes: Hebraica, Græca, Latina, Teutonica,  
Slavonica, & Tartarica, quæ matrices dicuntur: quod  
reliquæ inde sint ortæ.

---

## PARS TERTIA.

### De Patriarchis reliquis usque ad Judices Israelitarum.

In quator sequentibus Capitibus mentio fit 1. De  
Patriarcha Abrahamo. 2. De Isaac, & Jacob. 3. De  
Josepho Ægyptiaco. 4. De Servitute Ægyptiaca.

#### C A P U T I.

##### De Patriarcha Abrahamo

Prior Paragraphus Abrahami res ante, posterior post  
natum Isaacum gestas complectitur.

##### §. I. Abrahami res gestæ ante natum Isaacum.

1. *Qui se habuit Abrahæ è Patria sua in alienas  
terras migratio?*

Cum Deus Abrahamum non Patrem modo creden-  
tium omnium, sed Christi quoque ipsius Progenitorem  
destinasset, eundem prope septuagenarium e Chaldaea,

patria sua , idolorum cultui dedita , & natali oppido Ur Haranem primum , Mesopotamiae urbem , tum deinde post quinquennem ibidem commorationem , in regionem Chananitidem , ipsi totique ejus posteritati promissam , migrare jussit , anno ab orbe condito , bis millesimo centesimo decimio quarto . ( 2114 ) Paruit utroque sine mora & tergiversatione Abrahamus , ad omnem Dei nutum semper promptissimus .

2. *Cur Abrahamus a Lothro sejungi voluit ?*

Ad id temporis Loth communibus cum Abrahamo Patruo suo tectis , & pascuis utebatur . At cum Vir Sanctus novas identidem rixas suos inter , ac Lothi pastores existere animadvertisset , pacis studio seorsum deinceps habitare statuit . Lothus facta sibi ab Abrahamo optione , quemcunque voluisset , terrae tractum occupandi , regionem longe amoenissimam , Sodomae circumiacentem , sine ulteriore disquisitione elegit , ignarus , quanta inde sibi pericula , malaque iminerent . ( 2116 . )

3. *Quo pacto Abrahamus Lothum , ab hoste captum , in libertatem afferuit ?*

Rex Sodomae a quatuor Regibus bello laceratus , una cum aliis quatuor Regibus , quos in subsidium advocat , vincitur ; captaque urbe Sodoma , Lothus quoque cum suis in servitutem abstrahitur ; quo comperto , Abrahamus cum trecentis ac duodeviginti e sua familia exercitum vietorem strenue infecutus , fundit , fugatque ; atque ita non Lothum modo in libertatem restituit , sed omnem Sodomis ablatam praedam recuperat . ( 2118 . )

4. *Quid de Abrahamo & tribus Angelis Sacrae Literae referunt ?*

Cum Abrahamus sub meridiem fervente solis aestu ad ostium tabernaculi consideret , tres Juvenes ( Angeli erant peregrinorum babitu ) adventare conspicit ; moxque obviam progressus , perofficiose salutat , & prandium sub opacae arboris umbra apparari jubet . Remo-

tis mensis , peregrinorum unus Abrahamo prædictis : Saram uxorem , utut ætate jam proiectam , filium enixuram . Ob rei hujus novitatem atque insolentiam clanculum subrisit Sara : reprehensa igitur ab Angelo ; quasi Dei potentiae dissidisset . In discessu unus e cœlestibus Geniis Abrahamo aperit : urbem Sodomam obnesanda flagitia propediem eversum iri . Ille & Nepotis , & civium vicem misertus , iteratis instat precibus , urbi ut parcet , si deni saltē insontes in ea numerarentur ; verum ne tot quidem repertis , ultra intercedere ausus non est . ( 2139 . )

5. *Quas pœnas urbs Sodoma dedit ?*

Non hæc tantum , sed & aliæ tres urbes ( nam quintæ , Segor nomine , Lotho deprecante , pepercit flamma ) ruente de cœlo imbre igneo ac sulphureo , in cineres sunt redactæ . Ex horribili hoc incendio solus Loth , ejusque uxor , ac filiæ duæ ab Angelis prope per vim sunt ereptæ , addito severo mandato , retro ne respicerent ; quod quia Lothi uxor , curiositate victa , pensi non habuit , in statuam salis est conversa . ( 2139 . )

§. II. Res Abrahami gestæ post natum Isaacum .

1. *Quid de Ismaele memorandum venit ?*

Hunc Abrahamus ex Agare ancilla susceperebat ; verum cum se insolentius efferre , ipsumque adeo Isaacum infectari ausus esset , urgente Sara , nec cœlo improbante , una cum Agare matre sua paternis ædibus expulsus est . Fugientes satis prope confecisset , nisi Angelus monstrata fontis scaturigine , jussisset Agarem filii curam gerere , utpote qui per amplæ familiæ Parenſ futurus esset . ( 2144 . )

2. *Quale Sacrificium Deus Abraham imperavit ?*

Ut filium suum longe charissimum immolaret in monte Moria , quo Vir Sanctus sine cunctatione profectus tridui itinere appulit . Hic primum Isaacus , qui suis ipse humeris ligna portabat , intelligit , paterna sibi manu moriendum . Nec abnuit , ad omnem Dei , patrisque nutum expeditissimus filius . Jamque aræ im-

positum, ferro appetebat parens, cum cœlesti voce manum cohibere, & filii loco arietem, quem, Deo haud dubie providente, vepribus implicatum videt, cædere jubetur, simulque certior fit: tam promptum Deo subsequendi studium eximiis cœli favoribus, Christique ipsius a stirpe sua ortu remuneratum iri. (2163.)

3. *Ubi & quando Sara mortem oppetiit?*

Anno ætatis centesimo vigesimo septimo Hebrone diem suum magno filii, & mariti luctu obiit, sepulta que est in spelunca duplici, quam Abrahamus ab Ephrone Hetheo numerata pecunia emit. (2175.)

## C A P U T II.

De duobus Patriarchis Isaac, & Jacob.

Prior Paragraphus de Isaaco, posterior de Jacobo aget.

### §. I. Isaac.

1. *Quando, & quamnam Isaacus uxorem duxit?*

Triennio a Saræ matris obitu, cum Isaacus annum ageret quadragesimum, Abrahamus parens Eliezerem, qui rem omnein domesticam summa fide, atque integritate administrabat, in Mesopotamiam, patriam suam ablegat, sponsam ut inde adducat filio. Is longum ingressus iter, tandem haud procul ab urbe Harran ad puteum quendam constitit, ubi cœlesti, ut erat vir pius, implorato auxilio, eam Isaaco sponsam divinitus destinatam esse intelligit, quæ sibi, suisque camelis potum ultra præbitura esset. Præbuit Rebecca Bathuelis, Abrahami ex fratre nepotis filia, cui proinde pretiosa, quæ secum ferebat, donaria confestim obtulit. Domo, mensaque exceptus, renuit prius cibum capere, quam demandatae sibi legationis munere plene perfundus esset. Re, ex omnium voto confecta, Eliezer Rebeccam, forma non minus, quam virtute conspicuam, in Palæstinam deducit, anno ante obitum Abrahami tri-

gesimo quinto, post orbem conditum bis millesimo centesimo septuagesimo nono. ( 2179. )

2. *Quos Isaac filios genuit?*

Vigesimo demum anno ab initio matrimonio Rebecca Esavum & Jacobum enixa est; gemellos quidem, quippe eodem partu editos, sed habitu corporis, animique longe dissimillimos, nam Esau major natu praeter morem aliorum infantium corpore erat hirsuto; Jacob glabro: ille agresti, ferocique ingenio, hic placida, & tractabili indole.

3. *Quo pacto Esau primogenitus jus suum fratri cessit?*

Cum forte a venatione redux ingenti fame cruciatetur Esau, lenticulae, qua tunc frater vescebatur, tanto tenebatur desiderio, ut non dubitarit natalem prerogativam Jacobo puplicula vendere. Cujus cessionis, etiam jurejurando firmatae, eum postea nimis paenituit. ( 2218. )

4. *Uter alteri Benedictionem paternam præripuit?*

Jacobus natu minor, idque non tam astu pio Rebecce matris sue, quam arcano Dei consilio. Statuerat Isaacus decrepita jam ætate senex Esavo, tanquam primogenito, & familiæ Principi, bene precari; prius tamen hunc venatum ire, atque ex ferina præda gratum palato suo epulum apparare jubet. Quo cognito Rebecca quoque Jacobo in mandatis dat, ad gregem illico properet, duosque inde hædulos pinguisimos afferat. Hos illa ferinæ in morem exquisite coxit, conditque, atque e pelliculis collare, & manicas fingens, Jacobo tam scite aptavit, ut Isaac, cui præ senio caligaverant oculi, ex hirsutis manibus & collo Esavum coram adesse conjectaus, licet de voce addubitarit, Jacobo faustas inter precationes Primogeniti jura, & privilegia impertierit.

5. *Quo animo banc stropbam Esavus tulit?*

Iniquissimo hinc præ ira, & indignatione fremere, lamentari, ejulare, tantoque in fratrem odio ferri caput, ut eum de medio tollere decreverit.

## §. II. Jacob.

1. Quam viam Jacobus iniit impotenti fratriis ire  
se subducendi?

Ex matris consilio, & cum bona Parentis venia in Mesopotamiam ad Labanum avunculum suum confugit.

2. Quid in hoc ei itinere accidit?

Cum nocte præventus sub dio per noctare cogetur, dormienti objecta est Scala mystica a terra ad cœlum usque pertingens, per quam coelestes genii sursum, deorsum commeabant; quin Deus ipse supremo gradu consistens, quæ olim Abrahamo promiserat, confirmare denuo, ac rata habere voluit. (2276.)

3. Quomodo Jacobus ab Avunculo exceptus?

Ad urbem Haran appropinquenti Rachel occurrit, Patris sui greges pascens: quæ ut primum in Consobrini sui notitiam venit, patrem de re tota certiorem fecit. Hic nepotem suum inter amplexus, & oscula domum latus deducit. Mense ferme exacto Jacob, ut Rachelis nuptiis potiretur, septennem operam in pa scendis gregibus Labano locavit, qui tamen promissis haud stetit, sed emenso septem annorum spatio, Liam filiam natu majorem substituit, minorem ea demum legi nuptui daturus, si septem alios annos in famulatu futurum se reciperet. Nec conditionem hanc utut arduam respuit Jacob, amore, quo in Rachelem ferebatur, amarissima quæque dulcorante.

4. Quando, quoque cum comitatu domum remigravit Jacob?

Postquam pro Rachele, & Lia quatuordecim, sexque insuper annos pro gregibus redimendis strenuam Labano locarat operam, in patriam tandem reverti statuit: cumque de discedendi potestate a Socero impertranda desperaret, consulto prius Numine, reque cum uxoribus communicata, clam iter ingreditur, Socero ad tondendas oves aliorum tunc protecto; qui tamen cognita Generi fuga, nimium quantum exardescens, cum valida suorum manu fugientem celerrime est insectus, pessime haud dubie excepturus, nisi Deus ve

tuisset, gravius quidquam in illum consulere. Igitur ultra verba processum non est, quibus Labanus Genero suo & furtivam fugam, & sacrilegam idolorum rapinam vehementer exprobravit. Atque ille quidem de fuga facile se purgavit: furti vero a Rachele commissi, penitus ignarus, mortis reum pronunciavit, quiunque demum idola surripuisse. Cum igitur Labanus universam Generi supellectilem frustra excusisset, Rachele idola sub stramenta abdente, post longam tandem alterationem foedus utrinque sancitur. Redit exinde ad suos Labanus, Jacobus iter coepit prosequitur.

### 5. Quomodo fratrem reducem exceptit Esau?

Statuerat homo efferus, vitam eidem eripere tametsi hic, missis etiam legatis ac munieribus adventum suum humanissime, amicissimeque nuntiari jusserit. Quadrageitos Esau armaverat viros, quo nuncio consternatus Jacob, suppetias a ccelo supplex petii, atque ut iram fratris placaret, nova destinavit munera, agmenque in tres partes divisit. Inde precibus de nocte intentum celestis Genius virili specie ad luctam provocat. Nec certamen detrectat Jacob ad diluculum usque, læso licet ac enervato femore, strenue colluctans cum personato Palæstrita, quem non ante dimisit, quam sibi bene precatus fuerat. Exinde Jacob appellatione sane gloria, *Israël*, seu *Prævalens Deo*, cognominari cœpit, simulque divinitus est edoctus: nulli deinceps mortalium sucubiturum postquam Superis ipsis invictas probasset vires. Nec multo post Esau, armatis stipatus, in conspectum venit; qui tamen singulari fratris modestia, & comitate ita fuit delinitus, ut immemor omnis vindictæ, Jacobum amicissime sit complexus. 2296.

### 6. Quot filios Jacob in Mesopotamia suscepit?

Undecim, cum filia unica, cui Dinæ nonien. Filiorum hæc sunt nomina: Ruben, Simeon, Levi, Judas, Issachar, Zabulon, Dan, Nephtali, Gad, Aser, Joseph, quem

quem ultimum Rachel peperit, & aliquot post annis Beniaminum, ex cuius partu decessit haud procul ab urbe Bethlehem.

## C A P U T . I I I .

### Josephus Patriarcha.

Hic nota primo: variam Josephi fortunam ante servitutem Ægyptiacam. 2. Ejusdem servitutem, & captivitatem in Ægypto. 3. Honores eidem postea delatos.

#### §. I. Varia Josephi fortuna ante servitutem Ægyptiacam.

1. *Cur Josephus in tantam fratrum offenditionem incurrit?*  
Tribus de causis. 1. Quod præceteris tenerius amaretur a parente, qui togam ei polimitam conficiendam curavit. 2. Quod fratres suos nefarii cuiusdam criminis apud parentem accusarit. 3. quod ob narrata quædam somnia dominatum affectare videretur.

#### 2. *Quid igitur somniabat?*

Putabat se, una cum fratribus suis in agro manipulos colligare, ac suum quidem manipulum stetisse erectum, reliquis circum circa, adorantium ritu, aristas incurvantibus. Alias a sole ipso, ac luna, & stellis undecim adorari se, in somno sibi videbatur. Quæcum fide ac mente optima narrare, invidos fratrum animos tanopere exacerbavit, ut in ejus necem conspirarint.

3. *Num conceptum animo facinus perpetvare sunt aucti?*  
Id quidem fixum illis ac statutum erat, sed cruento eorum consilio intercessit Ruben, natu maximus, qui fratribus auctor fuit, ut Josephum, tum forte parentis iussu ad ipsos invisentem, in proximam cisternam destruderent. Quod eo fecit consilio, ut clam inde erupturn ad patrem posset reducere.

#### 4. *Quamdiu Josephus in cisterna delituit?*

Exiguo admodum tempore; nam cum paulo post negotiatores quidam Ismaelite illac in Ægyptum tendenter, Juda auctore e fovea extractus, atque iisdem venundatus est viginti siclis, anno mundi bis millesimo

tercentesimo sexto, (2306.) cum annum ageret decimum septimum.

5. Qui vero facinus tam atrox parentem celare potuerunt?

Novò scelere commenti sunt, Josephum cruentæ belluæ in prædam cœssisse. Missus proinde inauspicati nuncii baiulus, qui fratris tunicam hædino tintam sanguine exhiberet, ex cuius aspectu miserandus senex Iustu prope contabuit.

## §. II. Josephi servitus, & captivitas in Ægypto.

1. Quorsum ab Ismaelitis illis mercatoribus abductus est Joseph?

In Ægyptum, ubi venditus est Putiphari, unice præcipuis Regni Proceribus, quem Josephus mira in rebus agendis dexteritate, fide, ac prudentia brevi ita sibi devinxit, ut, homo licet exterus, ac servituti additus, trem omnem domesticam administrare juberetur.

2. Num diuturna hæc erat prosperitas?

Fuissest, nisi Heræ calumniis appetitus, Heri quoque sui gratia rapente excidisset. Nam cum Puripharis uxori, ad scelus iterum, iterumque pellicienti, fortissime semper restitisset, ac demum pallio quoque, quod procax tœmina prehenderat, in impuris manibus relictæ, aufugisset, illa amore in furorem verso, non dubitavit juvenem castissimum attentati flagitiæ reum agere apud maritum; qui vehementi ira atque æmulatione incensus, illico insontem in carcerem & vincula abripi jussit.

3. Quid hoc in carcere accidit?

Forte in eundem carcerem Pharaonis jussu compati sunt duo Ministri Regii, quorum alter pocillatoriis alter pistoribus præterat. Illi in somnis objecta erat species vitis, cum triplici palmite, gemmantis primum tum florescentis, ac uvas tandem maturas protrudentis, e quibus liquorem in calicem exprimere, Regique porigere fibi videbatur. Hic vero per quietem tria vidit canistra, capiti suo imposita, e quorum supremo cibos

bos varios, arte pistoria confici solitos, volucres surripiebant. Inde Josephus conjectit: hunc elapso triduo ad suspendium; illum ad pristinum suum munus evocatum iri; quem proinde rogavit: miseri ac innocentis patrocinium apud Regem suscipere ne gravaretur. Dicta probavit eventus, nisi quod pocillatores datæ fidei oblitio, Josepho duos & amplius annos haerendum in carcere fuerit.

*4. Qua tandem occasione Josephus e vinculis est exemptus?*

Vidit Pharaon per somnium septem vaccas præpingues e Nilo emergeret, quas aliae septem frigidae, & macilentæ, idem tidem exortæ, devoraverant. Ad hæc septem spicæ plenæ, opinæque uno culmo pullulare videbantur, quas totidem graciles & afflatæ uredine absumpsere. Cum de somniis hisce nemo unus aptam facere conjecturam posset, is, qui Pharaoni a poculis erat, sui jam tandem memor Interpretis, Regem monet: esse in carcere Juvenem, divinandi apprime peritum, quem is protinus in aulam acciri jussit.

*5. Quomodo hæc somnia interpretatus est Joseph?*

Ajebat: septem vaccis obesis, uti & spicis plenis septem totidem annos fertiles portendi, quibus septem alii steriles, a macilentis bobus ac spicis præsignati, successuri essent. Opus proinde fore, ut omne frumentum, annis fertilibus redundans, congeratur in horrea, ingruente annonæ inopia promendum.

*§. III. Josephus ad amplissimos honorum gradus erectus.*

*1. Quo præmio Pharaon Josephum remuneratus est?*

Non rei solum frumentariæ, sed toti eum Ægypto vicaria cum potestate præfecit. Igitur Regiis decoratum insignibus currum suum descendere, & triumphali cum pompa circumduci jussit, præcone proclamante, flexo ut omnes poplite Ægypti Pro-Regem, imo & Conservatorem mundi venerarentur.

*2. Qui suum hoc munus Josephus obiit?*

Summa integritate ac sapientia, maximoque Regii

ærarii emolumento. Nam cum elapsa fertilitatis se-  
ptennio non Ægyptus modo , sed vicinæ quoque Prin-  
viciæ annonæ difficultate laborare cœpissent , omnes  
ad frumenta emenda certatim in Ægyptum contende-  
runt , quo & Jacob deuos misit filios. Qui ubi suppli-  
ces stitere se Principi , ab hoc mox agniti sunt ; quin  
tamen fratrem illi suum agnoscerent.

3. *Quo vero vultu eos exceperit Joseph?*

Peregrinum , ac ignotam se simulans , vultu ad seve-  
ritatem composito , exploratores compellabat , in custo-  
diam tradendos. Illis contra asleverantibus , unius se-  
parentis filios e Chananide regione adventare , fratre  
natu minimo domi relicto. Hunc ipsum ad rei verita-  
tem comprobandam coram sibi sisti voluit. Ad postula-  
tum hoc prorsus inexpectatum stabant omnes atoniti ,  
veterisque delicti redeunte memoria , crudelitatem in-  
fratrem olim exercitam , tantæ modo calamitatis cau-  
sam matuis lamentis querebantur. Ea commemoratio  
Josepho lachrymas vel invito excussit , quas ut liberius  
funderet , paulisper recessit moxque reversus , Simeo-  
ne in vinculis retento , reliquos domum misit cum triti-  
co & pecunia , quam frumentariis in saccis clam re-  
poni jussit , addito severo mandato : Beniaminum ad  
se ut quam primum adducerent.

4. *Num Beniamnum a se dimisit Parens?*

Diu tergiversanti tandem famæ , atque iterum filio-  
rum preces assensum extorsere ; Juda pro Beniamini  
reductione vadem se ultro offerente.

5. *Nunquid ex sententia successit altera haec profectio?*

Recta in Principis palacium deductis lautum appar-  
atur convivium ; cumque dein Pro-Rex ipse compa-  
ruisset , prono in teram vultu eum venerabantur , quos  
ille perbenigne accipiens , multa de parente sciscitatur ,  
Sed nihil æque Josephi animum commovit , ac Benja-  
mini fratris sui uterini aspectus ; unde prorumpenti-  
bus denuo lachrymis vultum avertere , & in secretius  
sese abdere cubiculum cogebatur. Paulo post mensæ

accumbitur , ac reliquum diei tempus hilare , jucundaque traducitur . Cum abitum die postero pararent , saccos frumento impleri ; pecuniamque , ut nuper , reponi jussit , scypho argenteo in Beniamini saccum inserto .

6. Quæ illis molestiæ ob ipsum hunc scyphum exhauiendæ erant ?

Iter jam ingressos Oconomus Pro-Regis jussu præpropere insequitur ; poculum , veluti furto ablatum repetitur . Nemo sibi tanti facinoris conscius erat . Verum dum sarcinæ excutiuntur : ecce tibi ! in Benjaminisacco repertus est scyphus incredibili omnium luctu & consternatione . Igitur Benjaminus in urbem captivus abstrahitur , quem cæteri omnes sequuntur ; delicti fraternali veniam deprecatur . Præ reliquis Judas voce lamentabili Pro-Regi exponit : quo pacto Benjaminum certo reducturum se spoondisset parenti , hand dubie morituro præ marore , si nunc Benjaminum , ut olim Josepho , orbandus esset . Hic vero cohibere se ultra non potuit Josephi . Igitur Ægyptiis abscedere jussis in has voces , largo permistas fletu , erumpit : Ego sum Joseph Frater vester , quem Ægyptiis vendidisti , nihil a me metuendum eobis . Singulos dein savissime complexus , ubi rei novitate perterritos videt , prorsusque attonitos , inde eos potissimum consolatur , quod hæc omnia evenissent sapientissimo Dei consilio in Ægyptum se præmittentis , ut eorum , multorumque saluti consuleret . Irent igitur sine mora , & cuncta nunciarent parenti , huncque cum suis omnibus in Ægyptum deducerent .

7. Quis accepto hoc nuncio animus fuit Jacobo ?

Profundo velute somno excitatus Senex adduci vix potuit , ut crederet : at ubi currus , jumenta , cæteraque itineris subsidia coram inspexit , totus cœpit reviviscere , moxque cum suis ad longum , & laboriosum iter lætus , & alacer se accinxit , ut Josephi , quem primè extinctum putabat , aspectu desideratissimo fruiciceret . ( 2329 .)

## 3. Quæ Jacobi in Ægypto fuit fortuna?

Non solum a Josepho mutuos inter amplexus, & manantes prægaudio lachrymas, sed a Rege ipso honorificentissime est exceptus, qui regionem Gessenam, frugum fertilissimam, pecoriique pascendo aptissimam habitandam concessit, ubi Jacobus annos decem & septem commoratus anno ætatis quadragesimo septimo supra centesimum e vita migravit, fausta precatione filiis prius omnibus impertita. Præcipue vero Josephum est obtestatus, suum ut cadaver in regione Chananitide avito monumento inferendum curaret; id quod præstitum maximo cum apparatu, & magnificencia anno mundi bis millesimo tercentesimo quadragesimo quinto. (2345.) Josephus porro supremos inter Aulæ honores, vitam ad plures perduxit annos, donec anno administrationis Ægyptiacæ octogesimo, vitæ centesimo diem obiit, cuius ossa & cineres post annos amplius tercentos patrio tumulo, uti vivens petierat, sunt illati. Erant Josepho duo filii. Ephraim, & Manasses, quos Jacobus avus perinde ac reliquos promisæ illius terræ hæredes instituit.

## C A P U T IV.

## Servitus Ægyptiaca.

Hic recensenda primo Hæbræorum vexatio regnante Pharaone alio. 2. Moysis ad eum Legatio.

## §. I. Hebræorum afflictio.

## 1. Qua fortuna a morte Josephi usi sunt Hebræi?

Oppido adversa: nam mortuo Rege illo, gentis Hæbræ perstudioso, Pharao alins Ægypto imperavit, Israelitis longe infensissimus, quos supra, quam dici potest, cœpit affigere, veritus: ne gente hac extera prope in immensum excrescente, sibi tandem suisque securis esse non liceret: unde stirpem hanc longe invissimam radicitus parabat exscindere. (2451.)

## 2. Quibus id artibus perficere tentavit?

Principio Hæbræos duris cœpit laboribus exercere:

verum cum inde vegetiores multo, fœundioresque fieri animadvertisset, mares omnes, simul ac editi in lucem essent, ab obstetricibus Ægyptiis necari jussit. His vero tam crudeli imperio minime obtemperantibus, novo sanxit edicto: ut infantes masculi omnes, recens nati, aquis suffocarentur.

3. *Qui igitur Moyses parvulus erat?*

Mater; cui Jochabed nomen, tribus hunc mensibus domi suæ clam educaverat: verita dein, ne res pateficeret, fiscellæ scirpeæ, bitumine oblita, impositum Nilo committit.

4. *Num aquis haustus est infans?*

Divino factum consilio, ut eo ipso tempore Pharaonis filia ad Nili ripam deambulans, fiscellam, carici adhaerentem, ad se deferri jussit; qua aperta, cum bellissima specie pulsionem vagientem invenisset, conducta nutrice, eadem illa, quæ pepererat, sollicite educandum; indeque in Aulam translatum Ægyptiis excolendum literis curavit. ( 2464. )

## §. II. Moysis ad Regem Pharaonem Legatio.

1. *Quamdiu Moyses in Aula Regia est commoratus?*

Ad annum usque ætatis suæ quadragesimum, mundi bis millesimum quingentesimum tertium ( 2503. ) quo ex Ægypto in regionem Madianitidem profugus, Jethroni socero suo in pascendis ovibus quadragenariam locavit operam.

2. *Quomodo inde evocatus fuit ad populum Israeliticum ab Ægyptiorum servitute vindicandum?*

Ad Horebi montis radices gregem forte pascenti, Deus in Rubo flagrante quidem, nec tamen deflagrante, spectandum se obtulit, jussitque Pharaonem adire, & suo ei nomine populi Hebræi missionem imperare. Ad quod munus rite obeundum Deus virtutem ei, potestatemque extraordinariam, ac fratrem insuper Aaronem comitem, & adjutorem addidit. ( 2543. )

3. *Quem ex hac sua Legatione fructum tulit?*

Nullum penitus, quin potius versa & mutata in pe-  
jo-

jorem partem sunt omnia. Nam Pharao vehementiore  
inde ira accensus Israelitas novis obrui laboribus , ac  
verberibus maſtari jussit.

*4. Quibus porro machinis obſtinatum Regis animum  
expungere ſunt adorti ?*

Decem intentarunt plagas , alias aliis graviores , qui-  
bus tamen obſtratum tyranni pectus magis ſemper  
magisque obduruit , percalluitque.

*5. Quænam hæ plaga ?*

Principio Nilus , & aquæ Ægypti omnes , in ſanguinem  
mutatæ comptruere , pifcibus pariter extinctis.

*2. Incredibilis ranarum copia in n.ensas lances , pate-  
ras , lectos &c. involans longe omnia , lateqne faedabat.*

His ſucceſdebant *3. immensa ciniphum , ſeu culicium*  
*pungentium examina . 4. Muscarum mnlto moleſtissi-  
marum numerus ſine numero . 5. Contagioſa pecorum*

*lues . 6. Venenatæ pufculæ , & turgentia hominum*  
*ulcera . 7. Grando horribilis stragem , & vaſtitatem inau-  
ditam afferens . 8. Locuſtarum multitudo reliquum de-  
paſcentium . 9. Tenebræ triduanæ tam ſpiſſæ , ut mani-  
bus conrectari poſſent . Hæ tamen plaga omnes fer-  
reum Pharaonis animum adeo non emollierunt , ut in-*

*durarint magis .*

*6. Quodnam Moyses mandatum ante plagam decimam  
acepit a Deo ?*

Ut Israelitæ per suas quiske familias agni cæſi ſan-  
guine poſtem utrumque cum ſuperliminari conſper-  
gerent , ſicque ædes suas ab Ægyptorum domibus di-  
ſtinctas plaga imminente eximerent .

*7. Quænam decima , eaque poſrema fuit plaga ?*

Sub mediam noctem , Angeli , facto a Regii filii cæde  
exordio , primogenitos omnes cum hominum , tum ju-  
mentorum contrucidarunt .

*8. Num vietas tandem manus dedit Pharao ?*

Moysen , & Aaronem vehementer ipſeurgebat ;  
imo & rogapat , nulla ut interpoſita mora cum ſuis  
omni-

omnibus abitum maturarent, ne forte graviora sibi subeunda forent supplicia. Igitur Israelitæ ad sexcenta virorum millia, non annumerata imbelli mulierum ac parvolorum, vulgique promiscui turba, ex Ægypto, ubi annis ducentis, & quindecim diversati sunt, demigrarunt, pretiosis ditati spoliis, vasis videlicet aureis, & argenteis, variaque supellestili, quam ad solemne Sacrificium Deo offerendum mutuati sunt ab Ægyptiis. ( 2544. )

9. *Nibilne turbarum concitavit Pharao post Hebraeorum discessum?*

Cum tertio post die, quam abierant, comperisset Israelitas nil minus, quam redditum meditari, suæ illum indulgentiae pœnitere cœpit. Quocirca ingenti cum exercitu fugientes persecutus, pauloque post affecatus, victoriam spe devoraverat, quod Hebræi hinc mari Erythræo, inde hostibus cingerentur. At spes eum sua frustrata est, nam ut primum Moyses mirifica sua virga mare percussit, continuo aquis gemini instar muri utrinque suspensis, multitudini universæ siccum apernit tramitem, quo tuto transire omnes possent. Tentabat id ipsum Pharao cum suis, verum longius progressos, mare coëuntibus denuo fluctibus ita obruit, ut e tanto exercitu ne cladis quidem nuncius superesset. ( 2544. )

*Observationes ad tertiam Historiæ  
Biblicæ partem.*

1. *Quid in rebus gestis Patriarcharum præcipua consideratione dignum occurrit?*

Mirus Dei amor, cura, & providentia, qua suos, ac Josephum præcipue Ægyptum tot inter discrimina, casusque varios paterna fane solicitudine fovere, ac protegere consuevit.

2. *Cur Abrahamus credentium Pater nuncupatur?*

Ob fidem, quam Divinis semper pollicitationibus præstitit integrum; promptamque, tametsi magna non raro difficultates sese offerrent.

*Opusc. I.*

**C**

*3. Que*

3. Quæ porro vis inerat paternæ illi Benedictioni , quam a fratre sibi præceptam tantopere doluit Esau ?

E Sacrorum Interpretum sententia , præter alias prærogativas Divina insuper illa promissa de venturo olim Messia transferebantur a parente in filium , qui hoc pacto in album Progenitorum Christi quodammodo referebatur.

4. Cur Deus Hebræos in Ægypto tot premi calamitatibus est passus ?

Cum ad horum fidem periclitandam ; tum ad eorundem animos per adversa tenacius sibi agglutinando ; tum etiam ad imminentes olim Ecclesiæ suæ afflictiones præsignificandas : e quibus tamen eam perinde , atque antehac Israelitas , mirabiliter esset erexiturus .

5. Quis tertia illa mundi ætate cum sacræ , tum profanæ Reipublicæ status erat , & conditio ?

Profana per alia , atque alia Regna , in Græcia præsertim , recens fundata , magnum cœpit incrementum . Imperium Assyricum , Ægyptum , Chinense , Scythicum , aliaque , prioribus jam sæculis stabilita , in suo perstabant vigore . Sacra porro Respublīca , e paucis admodum Membris , Patriarchis nempe , horumque familiis constabat , ceteris terrarum incolis , si Israelitas , aliosque perpaucos excepérunt , deterrima idolatriæ caligine involutis .

## P A R S IV.

### De Judicibus Israelitarum.

In 4. sequentibus Capitibus consideranda , primo : Hebræorum per desertas solitudines quadraginta annorum profectio , Moysè Ductore . 2. Eorundem in Palæstinam , Josue præeunte , deductio . 3. Res gestæ Gedeonis , aliorumque Judicūm , qui proxime successere . 4. Facta Samsonis , Heli , & Samuelis .

CA.

## C A P U T I.

Israelitarum per loca deserta profectio.

Hic exprimenda, primo : Divina erga populum Israeliticum Beneficia. 2. Ejusdem cum alia, tum ingratiprincipue animi crimina. 3. Peccata idcirco infictae.

**§.I. DEI erga populum Israeliticum Beneficia.**

1. *Quem Deus Israelitis, per invias solitudines iter facientibus, viæ Ducem adjunxit?*

Interdiu nubes perlucida; noctu vero columna ignea agmen præcedendo viam quasi monstrabat; cumque castra metanda, subsistere: cum progrediendum, prægredi solebat, diurnos arcens calores, & nocturnas pellens tenebras.

2. *Quis tantæ multitudini de necessario comeditu, cibo, potu, vestibus prospexit?*

Hæc omnia Deus multiplici miraculo suppeditavit; nam 1. Quadraginta ipsos annos Manna, mirificisaporis ac nutrimenti, de cœlo subministravit, quod ante solis exortum quotidie colligendum, nec in diem posterum servandum erat, præterquam die Sabbathi, quo portio duplex in duos seponebatur dies. 2. Aqua deficiente, Moyses ex ipsis rupibus prodigiose suæ virgæ percussu fontem elicuit, copiosis, ac perennibus rivis scaturientem. 3. Vestimenta toto illo profectio- nis tempore, usu ac vetustate consumpta non sunt. Nec quisquam morbo tunc tentatus est; unde nec medicamentis erat opus.

3. *Quomodo Deus Hebræos contra hostiles incursus defendit?*

Anfalecitæ transitum iis armata manu tentabant præcludere. Igitur Moyses Josuen cum expedita manu ad subeundam pugnæ aleam præmittit; ipse vero cum Aarone fratre, & Hure sororis suæ marito in montem, ubi pugnantes conspici possent, consen dit, ibique Divinum imploraturus auxilium, in genua supplex procumbit, mirabili prorsus eventu, ac vicissi-

endine ; nam Moyse manus in cœlum levante , vin-  
cunt Israelitæ , succumbente vero præ lassitudine , suc-  
cumbunt & ipsi . Quo animadverso , Hur , & Aaron  
lassata Moysis brachia usque eo sustentarunt , dum  
fusis , fugatisque hostibus , Israelitæ gloriosam vi-  
ctoriam sunt adepti . ( 2544 . )

4. *Quis favor singularis Israelitis ad montem Sinai  
obvenit ?*

Statuerat Deus , Israelitas præcipuo quodam studio ,  
ac inito etiam cum iisdem fœdere , in populum peculiarem  
sibi asciscere , ac cooptare ; quapropter Sinæo in  
monte geminas Decalogi tabulas , cœlesti subscriptas  
manu , Moysi tradidit , additis pollicitationibus per-  
ampliis , si suum & ipsi obsequium , fidemque præsta-  
rent . Quadraginta ipsos dies , noctesque in monte  
Moyses familiari cum Deo consuetudine utebatur , un-  
de ex ejus vultu tantus cœpit emicare splendor , ut ne-  
mo in eum oculos defigere , nec ipse , nisi obducta velo  
facie , cum aliis agere deinceps posset , ac colloqui .

5. *Quid Moysi in diuturno illo suo secessu erat negotii ?*

Cum Deus peculiari quodam ritu ab Israelitis colli-  
atque hos inter sedem sibi ac domicilium collocare  
decrevisset , Moysen singulatim docuit , quemadmo-  
dum Divinum Tabernaculum , sive Sanctuarium cum  
sacro apparatu ac supellestili universa adorandum es-  
set . Tunc Arca Fœderis , Candelabrum aureum , ge-  
minaum Altare , Mensa inaurata , cui duodecim Panes  
mystici imponerentur , vestes item Pontificales , alia-  
que complura descripta , & designata fuere . Actum  
quoque de inaugurandis Sacerdotibus , statisque eo-  
rundem functionibus , ad quas Aaron cum filiis spe-  
ciatim est electus ; de variis tandem Ritibus ac Cæ-  
remoniis in rerum Divinarum usu adhibendis .

§. II. Gentis Hebrææ cum alia , tum ingratia  
præcipue animi crimina .

1. *Quomodo quoties commurmurarunt Israelitæ ?*

2. *Ad mare Erythræum , ubi cum hinc aquis , inde  
ho-*

hostili exercitu [circum]septos se vidissent , Deo plane diffisi , proterve minaciterque cum Moyse expostulare cœperunt , quod in præsentissimum mortis discrimen omnes adduxisset ; an enim sepulchra , quæ corpora saltem tegerent ; defuisse in Ægypto ? an non satius futurum fuisse , ibi servitutem ut ut ærumnosam , servire , quam hic morte longe crudelissima occumbere ?

2. Ad locum , cui Mara nomen , ubi Moyses ligni , divinitus monstrati immissione , amaras & aquas , & animos mitigavit

3. In deserto Sion , ubi panes & ollas Ægyptias tumultuose exposcentibus , præter incredibilem cotunicum copiam Manna insuper , cibus longe suavissimus , & delicatissimus , e cœlo est datus .

4. In Regione Raphidim , ubi petra virgæ Mosaicæ percussu vim aquarum ingentem effundens , sitim simul ac murmurationem extinxit .

5. Post discessum a monte Sina , ob iter toto triduo continuatum , & contra Angelum in nube præcedentem , & contra Moysen Ductorem exortum est populi murmur , quod immisso divinitus incendio sopitum , paulo post vehementius recruduit , tumultuosa plebe pisces , pepones , cepas , & allia Ægypti seditione deponente , hasque hortorum quisquilijs Manus , panis candidissimo & suavissimo anteferente .

6. Ob insinceram plerorumque speculatorum , quos Moyses ad explorandam Chananidem miserat , relationem , totis castris murmur ingens , ac seditio concitata est .

7. Hanc alia haud paulo gravior excepit , quando Core , Dathano , & Abirone terræ hiatu , multisque aliis cœlesti flamma absumptis , tantæ stragis causam omnem in Moysen conjectere .

8. In deserto Cades , ubi ad compescendum sitiens populi murmur , rupes virga Moysi iterato percussa , aquas largissimas hominibus æque ac jumentis propinavit .

9. Tandem, non in Moysen modo, sed & Deum ipsum sacrilegis vocibus insurrexere, acerbe conquesti, quod ex Ægypto in vastam hanc & inhospitam seducti essent solitudinem, ubi nec aquæ potus, nec panis, nisi Manna, quod cibum vilissimum contemptim vocitabant, suppeteret.

2. *Quid ad montem Sinai deliquerunt?*

Dum Moyses in monte quadraginta dies noctesque Divino fruitur alloquio, populus ille, tot tantisque Deo nominibus obstrictus, execrando idolatriæ crimen se contaminavit, vitulum ex auro conflatum Divinis adeo honoribus prosequendo.

§. III. Hebræorum Supplicia,

1. *Quinam primi, ac singulatim Deo penas dedere in illa solitudine?*

Nadab & Abiu Aaronis filii, qui, cum ad thus adolendum ignem profanum, contra ac Deus præceperat, adhibuissent, cœlesti protinus igne, velut fulmine afflati, illæsis omnino corporibus, vestibusque interiere. Duo item lapidibus, Deo sic jubente, sunt obruti; quorum alter lignis colligendis Sabbatum, alter blasphemis vocibus supremum Numen violare est ausus. Præter hos Maria; Moysis soror, quod fratri obtrectasset, fœdissima infecta est lepra. Quin & Moysi ipsi, ac Aaroni terræ illius fortunatæ ingressu est interdictum, ea solum de causa, quod subdubitarint, an Deus populo tam ingrato ac rebellii aquas e petra datus esset.

2. *Quæ Deus supplicia populo irrogavit?*

Diu quidem justissimum Numen, Moyse deprecante, vindicem cohibuit manum, sed eo demum pena fuit gravior, quo traditor. Ac i. quidem ob idololatriæ crimen, aurei vituli adoratione commissum, ad tria & viginti millia a Moyse, & Levitis, Dei honorem strenue vindicantibus, contrucidati fuere, aliis non paucis occulta peste sublati.

2. Cum plurimi iter a monte Sina tribus diebus continuatum, prosequi recusarent, ignis in querulos & igna-

ignavos cessatores divinitus emissus , extremam castorum partem cum iis , qui itineris tardio ex omni Tribu substiterant , absumpsit , majorem longe editurus stragem , nisi hanc Moyses precibus suis avertisset . Locus exinde *Incensio* est appellatus .

3. Vix ultrice hac flamma restincta , multa millia , cum Mannæ subeunte fastidio , carnes gulosius appeterent , & coturnicibus ingenti copia Divinitus submissis , scse ingurgitarent , ingluviem suam morte luerunt ; unde illi nomen : *Sepulchra concupiscentia* inditum .

4. Cum post duodecim exploratorum e Chananide redditum , fastidiosus ille populus desperata terræ divinitus promissæ possessione in solitudine mori præoptaret , Deus votum hoc ratum habuit ; proindeque rebellibus denunciari jussit , neminem ex omni belatorum multitudine , qui vigesimum ætatis annum superasset , pedem in Palæstinam illaturum , sed quadraginta annorum spatio post longas viarum ambages in desertis Arabiæ occubituros , Josue duntaxat & Calebo , qui meticulosis animos addiderant , exceptis . Reliqui porro exploratores decem ad aliorum terrem , & exemplum subita morte sunt extinti .

5. Core , Dathan , & Abiron , atrocissima in Moysen & Aaronem conspiratione conflata , cum domestico- rum , & conjuratorum turba omniq[ue] supellestili , vasto terræ hiatu , absorbentur , eodemque tempore ducenti quadraginta facinoris socii , dum thus parant incendere , incenduntur ipsi , flammisque penitus absumuntur . Nec mitius actum cum eorundem fautoribus , tantam suorum cladem Moysi palam exprobare ausis ; quorum fere quindena millia cum tentoriis , cæterisque utensilibus cœlesti incendio couflagraruunt .

9. Tandem , cum querelarum & murmurationum nullus esset finis , Deus pessimam hanc viperarum progeniem serpentibus ignitis castigavit , quorum morsibus longe pluri mi periere . Cæteris , qui ducti pœni-

tia , delicti veniam petebant , præsens remedium attulit serpens æneus , sublimi e pertica conspicuus , cuius vel solo aspectu lethaliter saucii protinus consanuere.

7. Sed nemo Hebræis toto illo peregrinationis tempore gravius nocuit , quam Balaam ariolus , quem cum Balacus Moabitarum Rex ad Israelitas diris devovendos conduxit et , is nihilominus , & Angeli admonitu , & asinæ humana voce colloquentis , objurgatione , iisdem vel invitus , Deo scilicet impellente , iterum , iterumque bene precatus esset . Balaco , indignissime id ferenti , postmodum auctor fuit , ut per mulieres Moabitidas , & Madianitidas eos ad lascivos primum amores , dein ad idoli quoque Beelphegor cultum pelliceret . Et vero consilio iniquissimo exoptatus respondit eventus , longe plurimis ad infandos amores , & sacra traductis , in quos Deus tam severe animadvertisit , ut exiguum intra temporis spatium quatuor ac viginti hominum millia vel peste , vel furca , vel gladio sint sublata .

## C A P U T II.

### De Judicibus post obitum Moysis usque ad Gedeonem.

#### §. I. Josue.

1. *Quis post Moysis obitum Populo Dei præfuit?*

Josue. Hunc Moyses ipse ex hac vita discessurus , præfecit populo , graviter , severaque admonito , Deo ut fidem semper integrum , inviolatamque præstaret , ejusque mandatis sedulo obtemperaret . Supremo dein montis Nebonis vertice consenso , postquam populo inde universo bene iterum precatus est , terraque illam , quam Numine prohibente , pede non potuit , oculis saltem obiit , perlustravitque , summo omnium luctu & comploratione excessit e corpore , quod protinus Angeli tumulo , in hanc usque diem incognito , intulere .

2. Qua

2. Qua ratione Josue cum filiis Israël Jordanem trajecit?

Memorabili omnino prodigo: nam aquæ, utut maxime id temporis exundantes, cursum suum omnem usque inhibuere, dum populus universus sicco vestido in adversam ripam evasit. (1584.)

3. Quo pacto urbs Jericho capta & expugnata est?

Non armorum vi, sed cœlesti iterum prodigo: nam ubi Josue Dei jussu Arcam Fœderis, clangentibus bucinnis per dies septem, ac die septimo septies circumferri jussit, muri munitissimi ad solum tubarum sonum & populi vociferationem sponte sua omni ex parte corruerunt. (2584.)

4. Quid in expeditione contra Regem Adonizedech suscepta memoratu dignum accidit?

Gabaonitæ Josuen, artificio mendacio circumventum, ad amicitiam secum paciscendam callide induxerant: quapropter ab Adonizedecho, & aliis quatuor Regibus, tanquam hostes & transfugæ, junctis viribus oppugnati, supprias a Josue petunt, ac impetrant. Hic cum omni suo exercitu ad hostem, qua maxima potuit celeritate, contendens, secundo prælio cum quinque illis Regibus strenue dimicat, veritus tamen, ne die jamjam in vesperum inclinante, nox ingruens, hostes Hebræorum gladiis eriperet, singulari in Deum fide, ac fiducia fretus, solem tamdiu jussit consistere, quoad hostem internecione delesset. Dictum, factum: ad hominis imperium, obstupescente universa natura sol subsistens diem horis ipsis quatuordecim producit, donec hoste occidione occiso, vicit, ac triumphum egit Israël. (2584.) Josue porro Chananide in reliquias Israëlis tribus divisa, proiecta tandem ætate è vivis excessit.

§. II. Othoniel, Aod, Debbora, & Baracus.

1. Quis Josue demortuo, Rempublicam administravit?

Post Josue obitum aliquot annorum Interregnum fuit, Optimatibus, ac Senioribus ad Reipublicæ clavum sedentibus; quo tempore Adonizedech Chan-

æorum Rex a Tribu Juda & Simeonis , Ductore Caleb , acie victus , pedibusque ac manibus mutilatus , talionis pœnam solvit ; eodem , quo septem ante Reges affecerat , mulctatus suplicio . Inde Israëlitæ urbes alias cepere , alias vectigales fecere , felices sane futuri , si in avita semper Religione perstitissent , qua deserta , deseruntur ipsi a Deo , & Chusano Mesopotamia Regi in captivitatem traduntur , e qua tamen eos , ubi reliquære , victo ac cæso Chusano eripuit Othoniel , e Tribu Juda oriundus , qui populum rexit annis 40. usque ad annum mundi ( 2640 . )

2. *Quis Othonieli succedit ?*

Aod , qui Eglone Moabitarum Rege interempto , populum e durissima servitute exemit . Præfuit annos octoginta usque ad annum 2720 . Sub hæc tempora Samgar Hebræus sexcentos e Philistæis , latrociniis & prædas agentibus , non aliis armis , quam vomere instructus , interfecit .

3. *Quis tyrannicum Jahini jugum ab Hebræorum cervicibus depulit ?*

Debhora , quæ vel imperio , vel certe consilio annis quadraginta cum Baraco populum regebat , & Jahel , virili ambae animo mulieres . Illa Divino Numine afflata ( quippe Prophetis erat ) Baracum , Hebræi exercitus Ductorem contra Jabinum Chananæorum Regem , qui Israëlias ob restauratum idolorum cultum justa Dei permissione oppresserat , ad arma concitat , insigni de hoste parta victoria . Hæc Sisaram , summum rei militaris , apud Joabinum Regem , Præfetum , ex acie profugum , hospitio excipit , haustuque lactis consopitum , trabali clavo trasfigit , sicque bello simul ac servituti finem imponit .

## C A P U T III.

De Gedeone , ejusque successoribus  
usque ad Samsonem.

## S. I. Gedeon.

1. Qua ratione Gedeon *Judex & Dux* populi  
*Israëlitici est renunciatus?*

Mortuo Baraco , & Debora , Israëlite in pristina  
denuo scelera , cultumque dæmonum relapsi , Madia-  
nitæ servituti addicuntur . Verum dum tantis op-  
pressi malis Divinum implorant subsidium , Deus Ge-  
deonem populi Duxem , ac libertatis vindicem con-  
stituit . Quod ubi Gedeon e cœlesti Internuncio co-  
gnovit , non ante provinciam sibi delatam accepit ,  
quam Dei sibi voluntas certioribus signis demonstrata  
fuisse t. Neque contentus miraculo , quo Angelus solo  
baculi contactu ignem è petra elicuerat , carnes & pa-  
nes superimpositos exedentem ; geminum insuper pro-  
digium non tam sua ; quam commilitonum causa à  
Deo poposcit , ac primo quidem vellus ut ovillum in  
area subdiali expansum , rore antelucano perfunde-  
retur , terra omni reliqua prorsus intacta ; dein ve-  
ro , ut hæc circumcirca madeficeret , vellere penitus sic-  
co . Quo dupli ostento confirmatus , imposito sibi  
oneri humeros subjicit . ( 2768 .)

2. Quos milites Gedeon adversus Medianitas in aciem  
eduxit ?

Duorum & triginta millium exercitus in armis jam  
stabat ; verum Deus numerum imminui voluit , ne vi-  
ctoriam suis tribuerent viribus Israëlite . Itaque præ-  
conis voce admoniti , ut , qui animo essent meticuloſo ,  
abirent , ad duo & viginti millia a signis sunt dilapsi ,  
decem duntaxat millibus , persistentibus . Sed & hic  
numerus , Deo jubente , contrahendus erat , iisque in  
hostem educendi , qui è vicino amne aquam , manu  
concava haustam , canum instar lingerent , quorum tre-  
centi duntaxat erant , reliquis , qui propi flexis popli-  
tibus biberant , dominum remissis . ( 2768 .) 3. Quo

3. Quo modo Medianitæ vici, ac profigati fuerunt?

Nova atque insolita bellandi methodo; nam Gedeon Dei jussu tercentos hos milites non aliis armis, quam sua quemque tuba & face hydriæ inclusa, instruxit. Sic armati, nocte concubia hostium castra cingere, datoque signo tubas pariter inflare, lagenas collidere, tandemque in altum sublatis vociferari coepere: *Gladius Domini, & Gedeonis!* Quæ omnia tantum hostibus terrorem incussere, ut mutuis sese cædibus ipsi conficerent, trecentis illis militibus, ne exerto quidem gladio, tantam hostium cladem impune aspicientibus. (2768.)

### §. II. Abimelech, Jephthe.

1. Quæ Abimelechi fuit fortuna?

Erat hic Gedeonis filius, qui parente e vivis sublato, principatum sibi arrogaverat. Hunc in finem septuaginta fratres; præter uatu minimum, qui e Tyranni manibus evaserat, obtruncari jussit. Verum haud diuturna ejus erat dominatio, Deo justas a fraticida pœnas celeriter repetente. Dum in oppugnatione urbis Thebes, turri ignem admoveare parat, una ex propugnatibus lapidis molaris fragmen tanta vi in Tyranni caput dejecit, ut cerebrum diffluxerit. Ne tamen manu mulieris interiisse diceretur, armigero se jugulandum præbuit. (2803.)

2. Quis huic in Præfectura successit?

Thola, & huic Jair, quo jus dicente, populus nova iterum servitute ab Ammonitis & Philistæis premi cœpit.

3. Quis populum denuo in libertatem vindicavit?

Jephthe, proximus in Prætura successor. Hic signum hoste collatus vovit, Deo se immolaturum, quidquid, relata victoria, domum revertenti primum occurrisset. Occurrit prima omnium filia unica, parenti victoriam gratulatura. Stetit promissis Heros, ac filiam elapsis, quod unum rogaverat, binis mensibus, collum ultro porridentem suam obtruncavit manus. (2849.)

4. Qui-

4. *Quinam a morte Jephte ad Samsonem usque Reip. gubernacula tenuere?*

Abesau , Ajalon , & Abdon , de quibus nihil singulari dignum memoria Sacrae tradunt Literæ.

## C A P U T . I V .

**D**e ultimis 3. Judicibus , Samsonem , Heli , & Samuele.

### §. 1. Samson.

1. *Quis populum Hebraeorum e Philistæorum servitute liberavit?*

Samson , qui jam inde a puerō Deo consecratus , Nazarorum ritu intonsam alere cæsariem , vinoque & omni potu inebriante abstinere divinitus jubebatur.

2. *Num hic Philistæos acie , apertoque Marte profligavit?*

Haud istud quidem ; varias tamen clades , Deo impellente , unus ipse solusque iis intulit. Ac primo quidem , trecentarum , quas cepit , vulpium singula paria , inter se colligata , innexis ad caudas tædis ardentibus , in Philistæorum segetes jam maturas immisit , grassante late flamma , & vineas insuper ac oliveta depascente.

3. *Qua via e manibus Philistæorum , qui captivum abduxerant , evagis?*

Cum viris Juda tantum non esset animi , ut minacia Philistæorum postulata rejicerent , Samsonem iis ventum tradidere , ob incensas segetes pœnas daturum. Quem dum Barbari , successu ovantes , velut feram retibus implicatam secum abstrahunt ; ruptis repente funibus , & arrepta , quam forte jacentem viderat , asini maxilla , mille omnino Philistæos trucidat , cæteris dilapsis. Inde labore simul , sitique confectus , fontem , ex ipso adeo maxillæ dente molari , inaudito prodigo ubertim profluentem , fusis ad Deum precibus impletat.

4c *Quid in urbe Gaza memoratu dignum gessit?*  
Ibidem pernoctanti novas iterum insidias parant  
Phi-

• Philisthæi , præclusis omnibus evadendi viis. Quare  
divinitus edoctus Samson , media nocte consurgit ,  
portæque fores geminas , cum postibus revulsas , ad  
vicini montis verticem humeris deportat.

5. *Quibus demum artibus Philisthæi Samsonem  
circumvenere?*

Fraude atque insidiis Dalilæ , quam amore insano  
deperibat. Hæc precibus , lachrymis , blanditiis ama-  
fium urgere non destitit , quoad fassus tandem est , ro-  
bur suum omne in crinibus residere , quibus proin  
dormienti detonsis , captus ab hostibus , & oculo utro-  
que est orbatus. (2898.)

6. *Quas hic pænas tandem de Philisthæis sumpsit?*

Horum primoribus ad solemne Sacrificium & epu-  
lias congregatis , Samson Indicrum daturus spectacu-  
lum producitur. Cum cæco huic Iudioni ab omnibus  
certatim illuditur , hic implorata Dei ope , qua pristi-  
nas sibi vires redi petiit , columnas geminas , quibus  
tota incumbebat ædificii moles , utraque prehendens  
manu , tam valide concussit , ut domo penitus subversa ,  
se & quotquot spectatum confluxerant , communis rui-  
na oppresserit , simulque finem diuturnæ servituti at-  
tulerit. (2899.)

## §. II. Heli , Samuel.

1. *Quid de Heli Sacer Codex meminit?*

I Pontificis simul ac Iudicis munere fungebatur :  
cui duo erant filii , Ophni & Phinees : Sacerdotalis  
ambo officii adjutores , sed enormibus uterque scele-  
ribus & sacrilegiis infames ; nam & partem ex iis , quæ  
offerebantur , sibi decerpere , & oblaturis , quod optimum ,  
selectissimumque erat , vi eripere non dubitarunt.  
Connivebat interim parens , vel certe lenius , ac scele-  
rum exigebat atrocitas , delinquentes castigabat.

2. *Quæ idcirco pænae huic solvenda erant?*

Ut Hebræi , à Philisthæis nuper profligati , feliciori-  
bus auspiciis pugnam redintegrarent , Arcam , Divini  
Oraculi Sedem , in castra secum attulerant , propiore

atque adeo propitio magis Numine dimicaturi. At secus evenit; nam occisa Hebræorum triginta millia, Arca ab hoste capta, cæsi Ophni & Phinees, Heli ipse, nuncio funestæ cladis accepto, e sella corruens, subito est extictus. (2939.)

3. *Quis post Heli interitum Populo præfuit?*

Samuel Vates Sanctissimus. Hic nihil antiquius duxit, quam ut populus offenso cum Numine rediret in gratiam. Igitur Comitia in Maspera celebranda, edicit, ubi Cœtui universo mentem suam pluribus exponit, piaculari indicto Sacrificio. Nec inobsequentem habuit populum, quippe qui ejurato idolorum cultu, Deo totum se dicare ferio decreverat. Necdum dimissa erat concio, cum Philistæi, hac maxime occasione utendum rati, inermem turbam armati aggrediuntur. Verum Samuel & prece, & Sacrificio novas e cœlo suppétias impetravit; horrenda videlicet tonitrua, ignes & fulmina, quibus hostes territi, & in fugam acti, atque ab inseguente populo ingenti clade sunt affecti. (2960.)

4. *Quid capta Domin⁹ arca factum?*

Ad hanc remitendam Deus Philistæos gravissimis calamitatibus compulit: peste sævissima, fædisque ulceribus homines, agros vero immensa murium copia depascente. Itaque Arcam plaustro novo, cui trahendo binas vaccas, vitulos recens enixas junxerant, impositam, sine itineris duce & vectore cum anathematis dimittunt. Hæ recto tramite Israëlitarum regiones petunt. Cumque urbem Bethsames attigissent, incredibile est, quanto populi plausu, ac lætitia Arca sit excepta. Sed continuo gaudia hæc gravior interceptit luctus, viris septuaginta et primoribus; et plebe vero promiscua, quinquaginta millibus repentina morte sublatis, quod Arcam curiosius inspicere sint ausi.

5. *Cur dignitas Judiciaria cum Samuele exspiravit?*

Cum Samuel filios reliquisset a paterna pietate, atque

que integritate omnino degeneres, ansam inde arri-  
puit populus Regem postulandi, qui aliarum gentium  
instar, belli pacisque temporibus ipsos regeret. Quo-  
rum desierio Samuel, consulto prius Numine, annuit.  
**Animadversiones ad quartam Historiæ Biblicæ  
partem.**

**1. Quænam quarta hac mundi ætate Reipublicæ Israë-  
liticæ forma erat, & conditio?**

Cum Deus populi Duces, Rectoresque ut plurimum  
ipse designare, iisdemque, quid factio, quidve cauto  
opus, singulatim dictare consueverit, regimen illud  
nec Monarchicum, nec Aristocraticum, nec Democraticum,  
sed rectius Theocraticum dixeris. Ad popu-  
lum vero quod attinet, omni Euripo mutabilior erat;  
jam enim affluente rerum copia, in omnia se scelera ef-  
fundebat; jam, restante adversitatum vento, ad DEUM,  
bonorum omnium Ocenaum se recipiebat; jam Regum & gentium vicinarum perversos mores Deosque  
sectando in servitutem est traditus. 1. Chusano. 2.  
Egloni. 3. Jabino, 4. Madianitis. 5. Ammonitis. 6. Phi-  
listhæis: Jam pœnitentia duce, ad DEUM & meliora  
conversum: servitute iterum exemit. 1. Othoniel.  
2. Aod. 3. Debbora cum Baraco. 4. Gedeon. 5. Jepheth.  
6. Samson, omnes divinitus excitati, cœlestibusque id-  
circo præsidiis & armis instructi.

**2. Quis per reliquum terrarum orbem tunc status erat?**

Regnum Assyriorum & amplitudine, & potentia cæ-  
teris omnibus præstabat; Regia Sedes Ninive erat, ubi  
Assyrii, Reges dicam, an ventris mancipia, Genio uni-  
ce indulgebant; Cultus veri Numinis mundo fere to-  
to exulabat, regnante ubique idololatria. In hac te-  
nebrofissima pudendorum scelerum nocte lucidissimi  
instar sideris resplenduit, eximiae prorsus fortitudinis,  
& patientiæ radios quaquaversum diffundens, Job  
Esavi pronepos, e regione Hur, Arabiae eontermina,  
oriundus.

3. **Cur Deus populum Israeliticum tot annorum intervallis per desertas, inviasque solitudines circumduxit?**

Cum ut toties, tamque proterve obnurmurantes castigaret, tum ut hostes, quemadmodum scelrum suorum mensuram paulatim compleverant, ita, poena, pari passu eos inseguente, pedetentim attererentur.

4. **Cur Deus Moysis corpus in sepulchro prorsus ignota condit voluit?**

Ut populo illi, ad idololatriam longe propensissimo occasionem omnem præriperet, Divinos Moysi honores decernendi.

5. **Quænam erant 12. Tribus Israël?**

Hæc à decem Jacobi Patriarchæ, & duobus Josephi filiis nomen & genus traxere, videlicet: Tribus Iuda: 2. Benjamin. 3. Simeon. 4. Dan. 5. Nephtali. 6. Gad. 7. Aser. 8. Issachar. 9. Zabulon. 10. Ruben. 11. Ephraim. 12. Manasse, e quibus Manasses patruo suo Levi, ad Sacerdotalia munia speciatim delecto; Ephraimus vero Josepho parenti est subrogatus.

6. **Quomodo & a quo duodecim his Tribubus Terra illa promissa fuit divisa?**

Tribui Ruben, & Gad cum dimidia tribu Manasse terra trans Jordanem Moyse; reliquis vero tribubus cis Jordanem a Josue est assignata. Sola tribus Levi, quæ utpote ad Sacra rite curanda divinitus destinata, agros colere non poterat, nullam terræ portionem accepit, sed reliquis Tribubus, ut pietatem ubique sereret, permista, frugum omnium decimis, primitiis, & iis, quæ Deo offerebatur: large sustentabatur, attributis ad habitationem Urbium octo & quadraginta, e quibus sex asyli jure donatæ.

## P A R S V.

**Reges Hebræorum usque ad captivitatem Babyloniam.**

Hic memorandus est. 1. Rex Saul, 2. David, 3 Salomon, 4. Reges Israël, 5. Reges, Juda.

*Opus. 1.*

D.

CA-

## C A P U T I

## Rex Saul.

**S. I. Saulis res gestæ, ejusque repudiatio.**

**1. Qua ratione Saul ad Regiam dignitatem est electus?**

Cum Samuel Deo jubente jus Regis, seu potius Regii juris abusum, malorumque & onerum, quæ regio sub Dominatu exantlanda esset, illiadem populo prænunciasset, nec tamen is a Rege petendo desisteret, Saulem Deus destinavit, habitu corporis, & maiestate inter ceteros eminentem, quem Samuel Regem inunxit, cum amissos Cis Parentis sui asinos conquisiturus, Vatemque de hac re consulturus, ad se divertisset.  
(2962.)

**2. Quos præcipue hostes Saul sibi infestos habuit?**

Philistheos, & Amalecitas, Hebraeo semper nominis longe infensissimos. Philisthei a Jonatha, ejusque armigero, facto repente in castra impetu, magno primum terrore compleri, tum dissipatis ordinibus multa se cæde contrucidare; ac demum a superveniente Saule ipso, penitus profligari cœperunt.

**3. Quem exitum habuit expeditio contra Amalecitas suscepta?**

Deus Sauli per Samuelem Prophetam denunciari jussit, ut Amalecitis, qui scelerum suorum jamjam expressent mensuram, bellum inferret. De victoria nedubitaret; id tamen caveret, de præda, & exercitu hostili ne quid reliqui ficeret, sed pecora &que ac homines cum supellestili universa igni ferroque deleret. Vicit Saul hostes; at se ipse ut vinceret, Deoque submitteret, imperare sibi haud potuit, Rege Agago ad triumphum credo, præda vero opimiore ad sacrificium, contra ac Deus mandaverat, reservata.

**4. Quid Deus Regi contumaci, ac refractario per Samuelem denunciari jussit?**

Præstabiliorem omni victima esse obedientiam, quam quia arrogante contumacia abjecisset; ipsum quo-

quoque a Deo abjectum, Regemque alium meliorem, & obsequentiorem eidem sufficium iri. Mox Samuel Agagum pinguissimum ad se adductum, suapte dextera in frustra concidit.

5. *Quem Deus Regem in Saulis locum subrogavit?*

Davidem, Isai filium natu minimum. Hunc dum annum ageret circiter vicesimum, atque ad eam diem pa-scendis parentis sui gregibus operam daret, Samuel rure accitum, paterno in oppido Bethlem privatos intra parietes, ne res Sauli suboleret, Regem inunxit.  
(2994.)

§. II. Saulis, a Deo reprobati, facinora.

1. *Quid Saule factum, ex quo David Rex est inau-guratus?*

Dum hic Divino impletur, & agitur Spiritu, alter illum Genius, humoris melancholico permixtus, in fu-rorem saepe agit, ac prope ad insaniam redigit. Malo huic strenuum ac praesens remedium allaturam spe-rant musicam. Igitur in Citharædum inquiritur; nec aliis magis idoneus est inventus Davide: qui proin è pascuis ad aulam accessitus suavi vocis ac fidium con-centu turbulentos animi motus mire sedavit, Regi ex-inde acceptissimus.

2. *Quid de Gigante Goliath memorandum?*

Cum Philisthæi novo iterum bello Hebreos lacesserent, exercitus uterque edito in colle vicina locabat castra. Inter Barbaros Goliath præcipue eminebat, & mole corporis, & armorum pondere, & animi ferocia plane Gigas. Hic per dies 40. virum sibi ex omni Israë-litarum numero sisti, quotidie iterata provocatione po-stulabat, qui singulari secum certamine de rei summa decernat. At nemo unus erat, qui cum immanni hoc monstro pedem conferre auderet, donec tandem David, forte fortuna a parente cum comeatu ad fratres missus, cum thrasone hoc in arenam descendere ani-mum ultro induxit. Facta igitur a Rege aleæ tentan-dæ potestate, non nisi armis pastoritiis, baculo, fun-

da , & quinis e torrente lapidibus instructus , adversus hostem procedit , moxque funda circumacta , lapidem vi tanta liberat in Goliathi frontem , ut carnea hæc moles ingenti cum fragore in terram præceps rueret . Jacenti ac palpitanti caput gladio , ex adversarii vagina educto , confessim præcidit victor , summo ubique exceptus plausu , & secunda populi gratulantis admurmuratione . Verum , unde David summam inire debuerat gratiam , inde maximam sibi conflavit invidiam ; a Saule ipso , cuius thronum vel capitis periculo stabilierat , indignissime divexus .

*3. Quas Saul Davidis vitæ insidias struxit ?*

Hunc ut e medio tolleret , nullum non lapidem morvit , ac 1. quidem pristino illo furoris œstro correptus , Davidem , cithara malo huic remedium afferre parantem , lancea semel atque iterum appetiit , confixurus haud dubie fidicinem , nisi hic modo capitis declinatione , modo celeri fuga ictum frustrasset .

2. Filiam suam Davidi eo demum pacto nuptui daturum se recepit , si centum Philistæos jugulasset , spe fretus , fore , ut ipse prior occumberet . Verum is ducentis eorum cæsis , Micholem , invito licet Socero , uxorem duxit .

3. Davidis domum de nocte militari undique corona cingi jussit , ut die illucescente captivum adducerent . At Michol impios parentis conatus elusura , matritum nocte intempesta per fenestram fune demisit , ac ne facultas ei , tempusque deesset , quo in tutum se recipere , ligneum hominis simulacrum ad fallendos milites in lecto reposuit .

4. Cum Saul Davidem ad Samuelem confugisse intellexisset , missis illico satellitibus aliis , atqne aliis sufficientem intercipi , vincumque ad se perduci jussit . At enim , vix pedem hi in ædes Prophetæ intulerant , cum mox Divino afflati Spiritu , non jam vincula , sed oracula promere incipiunt . Quod ipsi quoque Sauli , paucis post supervenienti , evenit , e sanguinario paricida in Prophetam fatidicum repente mutato .

*5. Saul*

5. Saul Davidem, per desertas solitudines, montes, & sylvas oberrantem, valido cum exercitu est infestus, junctis eum viribus oppugnaturus, suamque in potestatem redacturus. Sed irritæ fuere hæ omnes molitiones, Deo Davidem cœlestibus ubique firmando præsidiis.

4. Qui vero inter tot aduersa se gessit David?

Ut virum pium, patientem, ac magnanimum decet. Vitam ut plurimum fugiendo servavit. Ac primo quidem, ad Samualem Prophetam, dein ad Achimelechum Sacerdotem; inde in desertum est digressus. Ubi quam aspere ac inhumaniter a Nabolo tam prolixe, comiterque ab ejus uxore Abigail est tractatus. Tandem cum apud populares suos nusquam securo esse liceret, ad ipsum Philistæorum Regem Achis confugit, qui urbem Siceleg habitandam concessit. Necderat Dividi occasio Saulem, hostem suum juratum, perdendi; tunc præcipue, quando Regi ad eum, quo se receperat, specum forte divertenti, cum caput potuisset, non nisi chlamydis Regiæ particulam præseculit: aut, quando intempestæ noctis silentio, in castra, ipsumque adeo Regis tabernaculum, Abisai comite, ingressu, hastam solam cum aquæ scypho dormienti abiulit. Quo comperto, Saul propensissimum in se Davidis animum perspexit quidem; nec tamen destitit insontem persequi.

5. Quo tandem mortis genere Saul occubuit?

Dum hic in pugna cum Philistæis inauspicato in ita, grave vulnus accepisset, ne morituro hostis in sul taret, adstantem rogavit armigerum, ferro ut se perimeret. Quo impium obsequium aversante, suus ipse carnifex, in ensim præ desperatione incubuit. Hujus mortem non minore luctu David, quam gaudio Philistæi sunt prosecuti, qui demortui caput, cervicibus abscessum, per urbes suas omnes, velut in triumpho circumtulere, cadavere e muro Bethsan ad Iudibrium suspenso: quod tamen Jabelitæ de nocte sublatum,

publico urbis luctu terræ mandarunt , Davide officium , curando funeri impensum , prolixè laudante , ac remunerante. ( 2979 .)

## C A P U T I I .

### De Rege Davide.

§. I. Davidis præclara initia , ejusqne lapsus,

1. Quando *Dav id regni possessionem adiit?*

A Saulis obitu consulto prius Numine , cum suis Hebronem commigravit ; ubi anno ætatis trigesimo palam inunctus , annos septem cum dimidio soli tribui Judæ præesse cœpit : Isbosetho , Saulis filio , reliquis 11. tribubus imperante ; quo per sicarios interempto , tandem totius Israëlis , id est : 12. tribuum Rex inauguratus est David.

2. Quibus firmamentis , præsidiiisque Imperium suum stabilitivit ?

Pietatis præcipue , ac religionis cultu , & optimorum administratorum delectu . Pietatis specimen plane eximum dedit in translatione Arcæ . Erat hæc a pluribus jam annis exul quasi , & prope neglecta ; itaque eam David Hierosolymam , quam profligatis Iebusæis , regni sedem constituerat , transferendam curavit , maximo populi concursu , & gratulatione ; quam tamen ex improviso interturbavit repentinus Ozæ interitus : vel quod Arcam a solis alioqui Sacerdotibus tangendam , attrectasset Levita , vel quod eandem , humeris ex lege imponendam , plaustro admovisset , non sine lapsionis periculo , quod dum propulsare tentat , subito exspiravit . Perculsa eo casu David , ausus non est , Arcam in suam referre domum ; sed in ædes Obededom Levitæ perduci jussit , maximo ejusdem bono , atque emolumento . Quod ubi nunciatum est Regi ; trimestri exacto , Arca repetitur solemniore pompa , & apparatu longe magnificentissimo , non jam plaustro , sed Sacerdotum humeris de-

tinatum ad locum deportanda; ubi Rex ipse regis veste posita, ac linea, Ephod dicta, induitus, Arcæ præsaltabat, insultante incassum Michole, superba conjuge sua.

3. Quæbella gessit David?

Postquam Israëlis totius Rex salutatus; ac tertium est inunctus, Hebrone Hierosolymam cum valida suo rum manu contendens, Sionis Arcem, prope inex pugnabilem, pulsis inde Jebusæis, occupat. Mox armis in Philisthæos conversis, de his geminam, sed multo illustriorem de se reportat victoriam; dum aquam, e cisterna Bethlehemita a tribus viris fortissimis, prærupta Philisthæorum statione allatam noluit bibere, sed in omnium conspectu effundens Deo libavit. Ad reliquos subinde Israëlitarum hostes debellandos progressus, Moabitas Idumæos, Ammonitas, & Syros in ditionem suam redegit, stipendio, quod tot jam annis Hebræi pendere cogeberantur, ipsis imposito; unde auri, argenti, ærisque vis prope immensa ad futuram templi fabricam est collecta.

4. Quænam origo fuit belli adversus Ammonitas suscepiti?

Miserat Rex David ad Hanonem, Ammonitarum Regem Legatos, qui pro mutua amicitia mœrorem, ex parentis obitu conceptum, abstergerent. Verum hic viros honestissimos pro speculatoribus habitos, Procerum instinctu dimidia parte barbæ & capillitii attonsa, vestibusque ad summum opprobrium mutilatis, remisit. Hanc injuriam contra jus Gentium Legatis illatam, ulturus David, Ammonitas cum subsidiariis Syrorum copiis ingenti clade iterum iterumque illata, profligat, urbemque eorum regiam Rabbam solo æquat, incolis, accolisque crudeli quidem, digno tamen tot tantisque sceleribus supplicio affectis.

5. Qua occasione Rex ille pientissimus ad nefarium adulteri, & homicidii scetus est inductus?

Otio & incautiore fœminæ aspectu; cum enim post epulas ac meridiationem in solario domus regiæ otiosus deambularet, in Bethsabeam, eximia pulchritudine fœminam, oculos conjecit. Ex quo aspectu, veluti scintilla, vetiti amoris incendium longe tristissimum est exortum, non nisi copiolis poenitentiae lachrymis restinguendum. David porro dum adulterii crimen occultare parat, novo, eoque majore scelere cumulavit, innocentis nempe Uriæ cæde, quem in oppugnatione urbis Rabbæ loco pugnæ iniquissimo exponi, atque a suis deseriri jussit.

## §. II. Davidis penitentia, & vitæ exitus laudatissimus.

1. Quando, quare ratione David cœpit resipiscere?

Ut primum filius in adulterio suscepitus, hanc lucem aspexit adest mox Nathan Prophetæ a Deo missus, propositaque oviculæ raptæ parabola, Davidi gemini sui sceleris atrocitatem vehementer exprobrat, eidemque, crimen admissum ingenti cum dolore fletuque confitenti, ac detestanti, culpæ quidem gratiam facit; non item pœnæ multiplicis, idcirco subeundæ; quam non modo non recusavit, sed libenti etiam animo suscepit David. (2999.)

2. Quænam erant hæ pœnæ?

1. Mors filii e Bethsabea suscepiti, pro cuius vita proroganda multas preces, & lachrymas parens fudit.
2. Ammonis filii cædes, ab Absalom patrata.
3. Absalom adversus parentem rebellio.

3. Quid Absalom ad tantum scelus impulit?

Insana regnandi cupiditas degenerem filium eo adagit, ut Patrem solio & vita deturbare decreverit. Quare contracto ingenti exercitu, ad urbem Regiam Hierosolymam occupandam properat; unde tamen præmonitus David, nudis pedibus, flens, & aperto

capite, reorum more, fuga cum suis se proripuit. Fugientem Semei, perficitæ frontis homo, non libilis modo, & convitiis, sed & lapidibus appetit, tam atrocem injuriam morte hand dubie luiturus, nisi Rex mansuetissimus, justissimam Dei ferientis manum hic quoque agnoscens submisseque deosculans, suorum impetum cohibusset.

*4. Quem tandem impius Absolon perduellionis fructum tulit?*

Viginti suorum millibus cæsis, cæterisque in fugam actis, dum ipse quoque, mulo infidns, ex hostium manibus tentat evadere, capillis ramosæ querunt implicitis, cœlum inter ac terram hælit medius: quem Joab, re intellecta, tribus lanceis contredit. Hanc filii sui perditissimi mortem, non tam præsentem hanc, quam æternam illam, David acerbissimo luctu, ejulatione, lachrymis prosequebatur; quas Joab omni licet eloquentiæ vi adhibita, abstergere vix potuit.

*5. Cur lues pestifera Israëlitis Regnum invasit?*

Ob gravia populi delicta, justa Dei permissione factum est, ut David non sine vanitatis, & arrogantiæ nota universum bellatorum numerum iniri juberet. Quapropter Deus & hanc Regis, & multo graviores populi noxas castigaturus, misso Gade Propheta, optionem facit, aut famis triennis, aut belli trimestris, aut triduanæ pestilentiaæ eligenda. Quam ultimam, cum præoptasset David, tridui spatio septuaginta hominum millia interiere. (3017.)

*6. Cuiam David ante suum e vita dicessum Regni gubernacula tradidit?*

Salomoni, viginti & amplius annos nato, excluso Adonia, qui, cum nascendi prærogativa, & Optimatum quorundam subsidio nixus, Regnum affectasset, & hoc, & vita ipsa est privatus. David porro anno Regni sui quadragesimo, ætatis septuagesimo vitam

cum summa gloria posuit, successore Salomone sanctissimis monitis instructo. (3019.)

## C A P U T I I I.

### De Rege Salomone.

#### §. I. Salomon Regum sapientissimus.

1. Quæ Regni ejus fuere initia?

Longe auspiciatissima, sedente ad Imperii clavum ipsa Sapientia, quam ille, jussus a Deo, quod vellet, petere, elegit præ divitiis & gloria; quæ tamen ambæ velut pedissequæ dominam illam suam secutæ, Salomonem mortalium omnium felicissimum reddidere. (3020.)

2. Ecquodnam sapientias hujus specimen sacri fasti commemorant?

Cum dux mulierculæ, quarum utraque infantem vivum sibi vindicabat, mortuum vero & ab alterutra in lecto oppressum, utraque abjurabat, ad Salomonem provocassent; Rex litem hanc, oppido intricatam, ex ipsius naturæ indicio ac testimonio diempturus, quæ infantem vivum dividi postulabat, supposititia; quæ autem vivum servari petiit, mater vera judicata est.

3. Quo præcipue monumento Salomon nominis sui memoriam immortalitati commendavit?

Magnificentissima illa Templi toto orbe celeberrimi structura, quam anno regni sui quarto, ab urbe condito ter millesimo, vigesimo tertio moliri cœpit, ac septimo post anno ad fastigium perduxit, ducentis & amplius hominum millibus hac fabrica occupatis; e quibus Israëlitarum triginta millia, Proselytorum, qui ligna & lapides parabant, octoginta, bajulorum septuaginta millia, operis Præfectorum tria millia & sexcenti; non annumeratis tot hominum

num millibus, quos Hiram Tyri, & Pharaon Aegypti Rex submiserat. Tanta porro arte atque industria ligna & lapides præparabantur, ut sine instrumentorum fabrilium usu, ac strepitu jungi inter se postmodum, aptarique potuerint.

4. *Num ratam Deus, gratamque babuit operis hujus molitionem?*

Ut cum maxime: id quod in solemnni Templi hujus dedicatione gemino miraculo comprobavit, quando & nebula Dei præsentiam testata, non sine lucida caligine sacram ædem implevit, & ignis cœlo delapsus, holocausta & victimas paratas combusit. Tenuit hæc solemnitas septem dies, quo temporis intervallo mactata boum viginti duo, arietum centum ac viciati millia.

5. *Quid Reginam Sabæ Hierosolymas ad Salomonem invisendum accivit?*

Admiranda illa Salomonis sapientia, juxta ac-magnificentia, quæ ore atque sermone omnium percrebuerat. Hanc igitur exploratura coram, & periclitatim, magno cum comitatu Hierosolymam appulit. Cumque Templi ac Regiae domus majestatem, sacrificiorum magnificentiam, mensarum apparatus, servorum disciplinam, atque alia hujusmodi; præcipue vero summam regis in ænigmatis ac difficilimis quæstionibus enodandis sapientiam perspexisset, attonita ac pene stupore correpta, fateri non dubitavit: minora longe esse, quæ prius auribus, quam quæ nunc oculis usurpasset.

## §. II.

### Salomon e sapientissimo insipientissimus.

1. *Quibus tandem præstigiis Regum sapientissimus usque adeo infatuatus est?*

Amor mulierum insanus Regem illum, tam pius antehac & sapientem, vergente iam ætate, eo tandem

dem dementiae adegit, ut, qui vero prius Numini Templum augustissimum incredibili sumptu erexit juvenis, jam senex, ne mulierculis displiceret, vanis dæmonum simulacris delubra & aras non excitarit tantum, sed thns quoque ac victimas ipsis obtulerit: non jam Rex, sed abjectissimum Veneris mancipium.

*2. Num Deus hanc tantam impietatem inultam dimisit, ac impunitam?*

Haud quaquam, nam ubi Salomon effrenatis suis cupiditatibus habenas laxando, sapientiam, pietatem, pudorem, gloriam, existimationem, robur mentis & corporis, valetudinem, divitias, fructu annuos prope immensos, totque insuper tributa & vectigalia, exactioribus acerbissimis extorta, fœde ac impie dissipavit, tandem Deus post iteratas monitiones, severamque ingratae mentis exprobrationem, non tantum Regni scissionem, decemque Tribunum defectionem ei denunciari jussit; verum etiam hostes infensissimos, exteraneos æque ac intestinos contra ipsum suscitavit. Inter quæ calamitatis publicæ præludia Salomon vehementi tristitia, luctu & angore, multisque corporis & animi morbis, quos intemperantia peperit, confectus anno ætatis sexagesimo, Regni quadragesimo, ita e vita excessit, ut anticipitem de salute sua conjecturam reliquerit Posteris; cum Sacri Annales, qui crimina ejus gravissima recenserent, nusquam meminerint pœnitentie.

*3. Quis, Salamone defuncto, Regni eret status?*

Quod ad eam diem unicum erat, in duo postea Regna est divisum, Judaicum nempe, & Israëliticum. Illud Roboamus, cæterique Davidis Posteris: hoc Jeroboam Ephraimita primum, tum diversarum Tribuum Reges administrarunt. Scissioni præter paterna scelerata, causam præbuit Roboami imprudentia; hic enim populi nomine rogatus a Jeroboamo, ut durissimum tributorum jugum, a Salomone impositum, minueret,

rejecto Seniorum consilio, ex juniorum sententia, superbe, minaciterque respondit. Quibus verborum aculeis exulcerati jam animi tantopere exasperabantur, ut decem omnino Tribus, Salomonis stirpem execratae, Regnum Jeroboam detulerint, duabus duntaxat Tribubus Juda, & Benjamin Roboam adhaerentibus. Nos de Israëlis primum, tum de Regibus Juda agemus.

## C A P U T IV.

### De Regibus Israelis

Horum 19. numerantur, scelerati ad unum omnes, & impii idolorum cultores: qui Regnum Israël obtinuere annis fere ducentis quinquaginta quatuor. Nos hic 1. percensemus novem Reges usque ad extirpationem impiæ stirpis Achab. 2. Reliquos decem usque ad eversionem Regni Israëlitici.

#### §. I.

Novem Reges Israëlis usque ad extirpationem impiæ stirpis Achab.

1. *Quomodo primus Israëltarum Rex Jeroboam Regnum administravit?*

Ut nemo pejus; quippe, qui per Religionis, quæ Regnum omnium basis est firmissima, eversionem, thronum sibi stabiliendum duxit; veritus enim, ne Israëlitæ ad stata Solemnia Hierosolymam confluenter, ad Regnum Juda paulatim deficerent, illuc Sacrorum causa eos proficisci vetuit. Ac ne Templo, arisque & sacrificiis carerent sui, duo delubra in præcipuis Regni urbibus excitavit, vitulumque aureum utrobiique adorandum proposuit: Sacerdotes non de Tribu Levi, sed vili plebecula delegit, festos dies, ritus, sacrificia instituit; atque ita, dum nova Reli-

gionis specie , pessimis artibus introducta , Regnum firmare voluit , illud plane pessum dedit , Imperio dejectus & vita , eterna que , idcirco infamia notatus , cum annis regnasset duobus & viginti , necdum completis .

2. *Quis Jeroboamo successit ?*

Nadab filius , paternæ impietatis æmulus , quem anno post altero Baasa Israëlitici exercitus Ductor , de Tribu Issachar oriundus ; per insidias interemit , & hac cæde , imo universæ stirpis Jeroboamicæ excisione aditum sibi ad Regnum munivit , quod annis tribus ac viginti pessime administravit . Nec Ela filius , parente suo melior fuerat , quem , cum vix annum secundum regnando inchoasset , Zambri , equestris turmæ Ductor , cum tota Baasæ familia extinxit .

3. *Quamdiu regnarat Zambri ?*

Hunc Amri septimo post die , quam regnum invaserat , in urbe Thersa obfessum , eo furoris ac desperationis adegit : ut se , suosque una cum domo Regia combusserit ; hac ratione & corpus atrocioribus , quæ scelestus paricida impendere sibi noverat , tormentis , & Regias opes ænulo prærepturus . Exusta Regia , belli civilis exarsit incendium , his Amrium , illis Thebinum Regem poscentibus ; donec Amri , Competitores violenta morte sublato , solus rerum potitas , Regni Sedem Samariam transtulit : ubi anno imperii duodecimo vitam scelerate actam pari exitu conclusit .

4. *Quis ab Amri obitu Regni habenas moderatus est ?*

Achab , Amri parentis sceleratissimi , sceleratior filius . Hunc jam ante a patre impio depravatum , ad omne facinus impulit uxor longe impiissima Jezabel , frustra reclamante ac dehortante Elia Propheta sanctissimo ; qui , cum nec monitis , nec prodigiis cœlestibus quidquam proficeret , tandem Dei jussu tam Achabo ipsi , quam nefaria ejus conjugi , totique posteritati excidium denunciata , & Achabi quidem

sanguinem lincturos canes; Jazebelis vero cadaver in prædam iisdem cæsurum. Nec aliter evenit, ac Vates prædixerat; nam Achab anno Regni vigesimo secundo in prælio contra Regem Syriæ suscepto, sagitta confossus occubuit, canibus, dum currus tabe fædatus, in piscina Samariæ elueretur, cruentum absternit lambentibns. (3188.)

5. *Quid geminis Achabi filiis; Ochozia & Joram faciunt?*

Ochozias, parentis pessimi nihilo melior filius, nondum taxat anno Achabo superstes fuit: nam cum percenaculi cancellos prolapsus, conquassati corporis remedium a Beelzebub Accaronitarum idolo peteret, justo Dei judicio, & Regno & vita est deturbatus, fratrique Joram natu minori succedendi locum dedit. Hunc anno Regni duodecimo, Jehu, qui ad exscindendam impiam Achabi stirpem Rex divinitus est electus, in via occurrentem, jaculo transfixit. In de novis cum copiis ad urbem Israel ingressus Jezabelem e funestra per ejusdem domesticos præcipitari jubet, equorum ungulis proterendam, atque a canibus, ex Eliæ prædictione, discerpendam. (3129.) Sub hæc tempora Eliseus, virtutibus, vaticiniis, miraculis claruit.

## §. II.

Reliqui decem Reges Israëlitarum usque ad eversionem Regni Israëlitici.

1. *Qua laude Jehu præfuit?*

Hic initio regiminis sui ab idolorum cultu alienior esse videbatur, utpote qui non tantum impiam Achabi stirpem universam, sed execranda quoque Baalitem fana, quam simulacra cum sacrificulis omnibus toto Regno exterminavit, dignus idcirco, qui solus ex omnibus Israëlis Regibus imperium ad quartam usque generationem obtinuerit. Verum cum nec ipse vitulos aureos, pridem abolendos, sustulisset,

ditionem omnem trans Jordanem , & regnum , quod pietatis ac religionis cultu in ævum posteris suis stabilire poterat , impietate sua post annos centum & duos amisit . Obiit anno Regni sui vigesimo mortem ingloriam , & præclaris suis initiis prorsus absimilem .

2. *Quinam ex Iehu familia iu paternum solum sunt evecti ?*

Joachaz , Joas , Jeroboam II . & Zacharias , scelerati omnes , & primi illius Jerobamii imitatores , quorum primus septemdecim , alter sedecim , tertius unum , & quadraginta annos , postremus menses duntaxat sex , post duodecim fere annorum Inter-Regnum imperavit .

3. *Quinam fuere postremi Israëlitarum ?*

Sellum , qui Zachariam post semestre Imperium Regno & vita expulit , utroque & ipse expulsus a Manahem , cum uno non amplius mense regnasset . Manachemo post decem annorum Tyranidem succedit Phaceia filius , biennio post sublatus conspiratione Phaceiæ : qui ubi Regnum annis viginti occupaverat , paricidii sui pœnas ex lege talionis solvit , ab Osea paricida interemptus .

4. *Quomodo tandem Regnum hoc penitus est eversum ?*

Postquam Reges Israëlis omnes a Jeroboamo ad Oseam usque de impietatis palma concertarunt , ac populus ad Regum suorum exemplum & mores vitam quoque suam conformaverat , impleta tandem scelerum mensura , ab iis ipsis captivus est abductus , quorum flagitia sibi imitanda proposuerat . Itaque Salmanasar Assyriorum Rex , Samaria post tertium obsidionis annum expugnata , totaque Regio in suam ditionem redacto , populum cum Rege Oseam , perpetuam servitutem astraxit , quos inter Tobias vir sanctissimus numerabatur , ut bonis in captivitate solatio , malis vero ad vitam meliorem incitamento esset . ( 3314 .)

## §. I.

Duodecim Reges Juda a Roboamo ad  
Ezechiam;

1. Quot ex vicinis his Regibus pietatem conlanter  
coluere ?

Quaterni duntaxat , videlicet Josaphat , Joatham ,  
Ezechias , & Josias . Manasses pessime cœpta meliore  
fine emendavit : Asa vero , Joas , & Ozias bona initia  
malo exitu terminarunt . Reliqui duodecim scelerate  
vivendo aeternam nomini suo maculam inussere . Re-  
gnaruut viginti hi Reges universe annos sex & octo-  
ginta supra trecentos , ab anno scilicet mundi ter-  
millesimo , sexagesimo , ad ter millesimum quadrin-  
gentesimum quadragesimum sextum

2. Quo successu Roboam Regnum , i.e. Tribuum se-  
cessione diminutum , gubernavit ?

Hunc quoque , perinde ac Salomonem parentem , mu-  
lieres perdidere a quibus jam inde ab adolescentia de-  
pravatus , ad omnem dein libidinem , ac nefarium ido-  
lorum cultum populo facem prætulit . Quapropter ira-  
tus Deus , Sesacum Ægypti Regem innumerabili cum  
exercitu in Iudeam immisit ; qui munitissimis Regni  
urbibus captis , templique & domus Regiæ thesauris  
direptis , gravia insuper tributa imperavit . Obiit Ro-  
boamus anno regni sui decimo septimo , infortunatior  
longe : quod religionem , quam quod regnum maxi-  
ma sui parte perdiderit .

3. Quis eidem in Regno succeſſit ?

Abias mali corvi , malum ovum . Hic contra Jero-  
boamum , qui octingenta millia in aciem eduxerat ,  
cum quadringentis millibus acie congressus , ac prope  
circumventus , DEI ope implorata cecidit hostium  
quinquies centena millia . Nec is tamen tanto benefi-  
cio ab imitanda patris impietate absterrerit potuit .

Præcoce igitur fato , anno nempe regni tertio , e vivis  
est sublatus , ne dintius DEI beneficiis abuteretur.

4. Num Aſa , ejus ſuccellor , felicioribus auſpiciis  
regnariſt ?

Hujus initia laudatissima fuere , nam idolis & impiaſ  
ſuperſtitioſis monumentis ubique abolitis , regnum  
ſuum omne repurgavit ; hinc in præmium restaurotae  
religionis , Æthiopum decies centena millia interne-  
cione delevit . Idem tamen iuſta reprehensione non  
caruit . 1. Quod DEO , cuius opem contra Æthiopes  
expertus jam erat , diffiſus , Syrorum Regis ſocietatem  
non profano tantum ærarii ſui , ſed ſacro quoqne templi  
auro ſit mercatus . 2. Quod Prophetæ , indigni fœderis  
poenias denuncianti , compedes injici , multosque de po-  
pulo facinus hoc palam improbantes , necari jufſerit . 3.  
Quod vehementiſſimo pedum dolore diſcruciatus , ad  
Medicos potius , quam Deum confugerit . Obiit tandem  
hoc ipſo ex morbo anno regni ſui quadragesimo pri-  
mo , funere ſumptuoſiſſimo elatus . ( 3120 .)

5. Quem bic Regni hæredem reliquit ?

Josaphatum Principem religioſiſſimum ; cui prima  
cura religionis , altera iuſtitiae fuit ; hinc urbibus ac pa-  
gis ſacrae Legis Doctores , tribunalibus incorruptos de-  
dit Judices . His propugnaculis , religione nempe , &  
juſtia , regni ſui fines contra hoſtium incuſiones fir-  
miſſime præmunivit . His ſolis armis prodigioſam illam  
retulit victoriam , quando immenſus Barbarorum exer-  
citus , terrore panico divinitus immiſſo , mutuis ſe cæ-  
dibus ad internecionem uſque confeſcit , tantamque vi-  
ctori incruento reliquit prædam , ut ei exportanda vix  
triduum ſuffecerit . Vitanu pie glorieſequē finiit anno  
Regni ſui quinto & vigesimo , mundi ( 3145 . ) hoc nno  
infelix , quod affinitatem , & iœdus contra Syrios cum  
impio Achabo , & comercii ſocietatem cum Ochozia ,  
Achabi ſuccellore , inierit .

6. Num pari laude Ioram filius imperavit ?

Hic paterna iuſtitutione neglecta , Athaliam conju-  
gem ,

gem , Achabi , & Jezabelis filiam , omnis impietatis & crudelitatis Magistrum habuit ; qua instigante non solum sex fratres , & quosdam e parentis Consiliariis , de medio sustulit , sed abominanda insuper vituli aurei & Baalis sacra in regnum Judææ invexit . At mox sensit vindicem DEI manum ; nam ab impio Numinis deserto defecerunt Idumæi , Philisthæi , & Arabes , qui Judæa depopulata , regiam ipsam expilarunt , filiosque omnes , uno Ochozia natu minimo superstite , interficerunt . Ipse vero insanabili viscerum dolore percussus , totoque biennio dire vexatus , scelestam tandem animam anno regni quarto evomuit , Deo invitus & hominibus , unde etiam exequiis , & sepulchro caruit regio .

*7. Quid de Ochozia , Athalia , & Joa memorandum ?*

Ochozias paternam , maternamque impietatem imitatus , a Jehu Achabice stirpis exterminatore , una cum Joram Israelis Rege occiditur , cum anno vix integro sceptrum tenuisset . Inde Athalia thronum , Ochoziæ filii morte vacuum , occupans , quidquid superrat stirpis regiae , sustulit . Unus Ioas , Ochoziæ filius natu minimus , avitæ crudelitati ab amita est subtratus , quem in templo clam educatum anno ætatis septimo Jojadas Pontifex paternum in solium restituit , exturbata , & occisa furia illa , quæ sex annis tyrannem exercuerat . Tum vero novo cum Rege cœpit religio revirescere , & lætam omnia faciem induere ; quoad nempe Jojadas , qui Principem optimis consiliis regebat , superstes fuit . At eo vita functo , Procerum assentationibus corruptus , ab avita religione descivit , fana instauravit , & Zachariam Prophetam , Jojadæ filium , impiis molitionibus adversantem , in ipso templi vestibulo lapidibus obruit . Ob quæ , aliaque delicta Judæa regio a Syris devastata , regni Proceres interempti , Rex ipse in lecto decumbens a suis est trucidatus , anno regni quadragesimo , mundi ( 3196 . ) Sub hoc tempus Jonam Prophetam DEUS Niniven ablegavit , commune ut urbi excidium denunciaret ; quod tamen


& Rex , & incolæ pœnitentia , seriaque criminum detestatione in tempore averterunt.

8. Quam laudem Amasias , & Ozias sunt commeriti ?

Amasiam victum , captumque in urbem regiam Hierosolymam triumphali pompa introduxit Joas Israelis Rex , dirutisque mœnibus , & gaza omni tam sacra , quam regia direpta , eundem sibi vestigalem fecit. Vitam posuit anno regni undetrigesimo , valida suorum conjuratione oppressus. Hujus in locum populi studiis suffectus est Azarias , sive Ozias filius , sedecim annorum adolescens ; qui , quamdiu Deo adhæsit , cælesti protectus auxilio , regnum felicissime administravit , at dum sui oblitus in munus sacerdotale involat , mox lepra divinitus afflatus , ab omni etiam civili functione depellitur. E vita migravit anno regni quinquagesimo secundo , mundi ( 3177 . )

9. Quam populi regendi viam iniere Joatham Oziae , Achaz Joathami filius ?

Longe diversissimam ; hinc , quantum laudis sibi tum religionis studio , tum bellicæ fortitudinis gloria sedecimi , quibus regnabat , annis comparaverat Joatham parens , tantum infamia , & dedecoris contraxit Achaz degener omnino filius , juratusque & Numinis , & avitæ religiosis hostis , idolorum cultui ad extremam usque insaniam , & impietatem deditus. Quapropter maximis eum cladibus attrivere Idumæi , Philisthæi , Reges item Israelis , Syriæ , & Assyriorum . Nec sic tamen resipuit demens , sed deterior in dies factus anno regni sexto & decimo mundi ( 3308 . ) vitam sceleratissime actam cum æterna morte commutavit , indignus Regum sepulchris , & omni posteriorum memoria.



# Octo Reges Juda ab Ezechia usque ad captivitatem Babyloniam.

## 1. *Quis Achazo successit?*

Ezechias pessimi parentis optimus filius, qui nihil antiquius habuit, quam ut religionem, patris impietate prope collapsam, in integrum restitueret, obliteratis undique netariæ superstitionis vestigiis. Quapropter maximis & prodigiosis a Deo favoribus est cumulatus, quod tunc maxime patuit, quando Dei iussu Angelus centum, & octoginta quinque millia militum, quos Sennacherib Assyriorum Rex Hierosolymis admovebat, una nocte interfecit. Ezechias porro vitam, ingenti miraculo, quo revocatus cum horologii sciamerici umbra solis cursus, ad quindecim annos prorogata, laudabilissime finiit anno regni vigesimo nono, mundi (3337.) Aliquot ante annis, quam Ezechias regnum capebavit, urbs Roma a Romulo adificari coepit anno mundi (3301.) Alii (3300.) Alii (3302.) aut serius conditam ajunt.

## 2. *Quam sibi laudem Manasses regnando peperit?*

Duodecim annorum puer erat Manasses, quando ad regni gubernacula, quæ quinquaginta quinque annos ipsos tenuit, est admotus; ac primo statim anno pessimis aulicorum artibus ita depravatus est infelix puer, ut nullum prope facinus inausum, intentatumque relinquenter. Verum ubi ab Assyriorum Regis ducibus captus, & cum flore nobilitatis Judaicæ Babylonem est abductus, divino inter custodiae tenebras oborto lumine, scelerum suorum immanitatem jam tandem agnoscere, detestari, & amarissimis deflere lacrymis cœpit. Nec multo libertati, ac regno restitutus, qui populum prius pravo suo exemplo ad impia sacra pelleverat, jam totus a se diversus, eundem ad pietatem & avitæ religionis cultum reduxit. Sub hæc tempora Hebraæ illæ Amazon Judith, formæ, & virtutis miracu-

Ium, de Holoferne Assyriorum Duce triumphavit, quem, facto supra sexum generoso, Virago fortissima suomet in tentorio obtruncavit, atque unico hoc iuctu hosti præpotenti, ac præferoci nervos omnes incidit.

*3. Quis Manassii in Regno successit?*

Amon filius, & ipse impiis Procerum quorundam technis ad immania scelera inductus, vivo etiamnum parente, quem secutus est dehiuc peccantem, non item pœnitentem. Itaque anno regni secundo ab ipsi metu domesticis est interemptus, ut eos haberet scelerum suorum ultores, qui ad peccandum fuerant concitatores.

*4. Num Josias quoque impi parentis restigjis institit?*

Minime omnimum; quin potius ad eximiam pietatem jam inde a teneris annis informatus, veri Numinis cultum a parente profligatum, instaurandum ubique, & propagandum suscepit, abolita omni penitus simulariorum, rituumque sacrilegorum memoria. Obiit tandem ex vulnere Princeps religiosissimus anno regni trigesimo primo, mundi (3425.) in expeditione contra Nechaonem Ægypti Regem, inconsulto DEO suscepta, longiore vita dignissimus; nisi populus impius Regem tam pio indignum se pridem redidisset.

*5. Quæ tandem quatuor ultimorum Regum, Joachazi, Joakimi, Jechonie, & Sedeciae fuit fortuna?*

Joachaz. degener Josiae filius, post trimestre imperium a Nechaone Ægypti Rege solio dejectus, Fratri Eliacimo, seu Joakimo, regnum cedere cogitur. Joakimus porro scelera sceleribus cumulando impendentem dudum regno Judaico procellam in suum, suorumque caput celerius concitavit. Quippe Nabuchodonosor, obsessa repente captaque Hierosolyma, Regem catenis vincitum Babylonem adduxit, pauloque post in regnum restituit, imperato prægrandi tributo, quod cum triennio ægre solvisset, quarto post anno rebellare cœpit. Denuo igitur a Chaldæis captus, occisusque, ac extra urbis mœnia est projectus, feris &

volucribus in prædam cessurus anno regni undecimo,  
mundi ( 3436.)

Joakimo successit filius Joachimus , sive Jechonias ,  
paternæ impietatis hæres , qui tertio post mense , quam  
Hierosolymis regnare cœperat , cum matre , uxore , &  
regni primoribus , omnique gaza est Babylonem ab-  
reptus.

In hujus locum Mathatias , sive Sedecias patrius est  
suffectus , qui impleta tandem scelerum mensura , sibi ,  
regnoque toti ultimum accersivit exitium . Capta igitur  
à Chaldaeis post durissimam obſidionem est Hiero-  
ſolyma , & una cum templo illo auguſtissimo incensa ,  
ac funditus eversa : retractus è fuga Sedecias . ejus li-  
beri in parentis conspectu trucidati : Rex ipse oculis  
orbatus , injectisque catenis , anno regni undecimo cum  
ingenti , nobiliorum præfertim caterva , Babylonem est  
perductus ; ubi in vinculis aliquanto post squallore &  
mærore confectus contabuit . Atque ita regnum hoc  
nobilissimum , periude , atque antea Israëliticum , tot  
scelerum gravissimorum pondere concussum identi-  
dem , & labefactatum , tandem omuino concidit anno  
mundi ter millesimo quadringentesimo quadragesimo  
sextto . ( 3446 .) Post 70. annorum servitutem Judæis  
in sedes quidem suas remigrare licuit , semper tamen  
alienis deinceps dominis subjecti ; nec unquam sui am-  
plius juris , & mancipi fuerunt .

### Observationes ad quintam Historæ Bi- blicæ partem .

*s. Quis terræ illius a Deo promissa a primis Regni exor-  
dis status erat & conditio ?*

Regnante Davide , imo & Salamone , antequam suis  
hic cupiditatibus regendum se tradidit , regio illa to-  
tius orbis fortunatissima dici haud injuria poterat ; ac  
ubi regnum , imperantium præcipue vitio , in Judai-  
cum & Israëliticum discissum est , hoc iodololatria cor-

raptit penitus , atque pessum dedit : Illi contra fam diu sua stetit incolumitas , quoad Rex cum populo supremi illius Domini imperio se submittebat.

2. *Quinam Prophetæ illis maxime temporibus floruerent?*

Elias , Elisæus , Isaias , Jeremias , Ezechiel , Osee , Joël , Amos , Michæas , Sophonias &c. qui magna virtutis æmulatione & ardenti religionis fervore incensi , in Regnum æque ac populi flagitia gravissime invehebantur.

3. *Cur Deus illa tempestate tot Prophetas misit?*

Id nimirum summopere exigebat & hominum , & temporum illorum iniquitas ; quanquam pauci admodum numerabantur , qui aut eorum prædictionibus haberent fidem , aut monitis saluberrimis morem gererent.

4. *Quæ potissimum causa fuerat scissi primum , tum colapsi penitus Regni Israelitici , ac Judaici?*

Exaggerata criminum gravissimorum moles , quæ , uti priscis illis temporibus , ita hodieque urbes , regiones , ac Regna florentissima pessum dare , funditusque evertere consuevit.

5. *Quis rerum in orbe reliquo cursus tunc erat?*

Regnum Assyriorum , Nabuchodonosore imperante , summum gloriæ & potentie verticem attigerat. Græcia novis in dies incrementis augebat , ac ferme e diversis rebus publicis regnisque minoribus constabat. Roma tenuibus , ut fit , initiis receas nata , sensim adolescebat ad totius mundi Imperium. Cæterum orbis prope universus veræ fidei lucem perosus , in densa errorum ac superstitionum caligine oberrabat.



## P A R S VI.

De captivitate Babylonica, & quæ  
exinde ad Hierosolymæ usque exci-  
dium sunt consecuta.

Quæ 4. sequentibus capitibus comprehenduntur,  
cum totidem mundi Monarchiis quodammodo con-  
gruunt, nam 1. Captivitas Babylonica in ultima Mo-  
narchiæ Asyriæ tempora incidit: 2. Ducenti & octo,  
qui a captivitate Babylonica fluxerunt anni, cum Per-  
sica: 3. Tria, quæ proxime sequuntur, sæcula, cum  
Græca; 4. qui supersunt anni 29. ante, & 70. post  
Christum natum, cum Romana concurrunt Monar-  
chia.

## C A P U T I.

De 70. annorum captivitate Judæorum  
sub Monarchis Assyriis.

1. *Quid captivitatis illius tempore singulari dignum  
memoria occurrit?*

Daniel Prophetes ob admirabilem arcanorum cœle-  
stium cognitionem & reconditam sapientiam summa  
apud Reges illos pollebat auctoritate & gratia. Hic te-  
nera etiamnum ætate in captivitatem Babylonicam fuit  
abductus; ubi variis utriusque fortunæ casibus jacta-  
tus, firmus semper & immobilis perstigit, ac ne trans-  
versum quidem unguem a virtutis tramite unquam di-  
scessit, sapientiæ, fortitudinis, castimoniæ, & integrita-  
tis miraculum.

2. *Cur Daniel a Nabucodonosore tot tantisque honori-  
bus est cumulatus?*

Regi per quietem objectum erat somnium: cuius,  
ubi evigilavit, ita est oblitus; ut se tamen somniasset

meminisset. Igitur ex Ariolis tam somnium ipsum, quam ejusdem interpretationem exquisivit. Cum ad postulatum tam insolens omnibus hæreret aqua, Daniel de re tota divinitus edoctus, somnii totius seriem Regi enarrat: oblatam videlicet quiescenti fuisse statuam prægrandem, cuius caput aureum, brachia & pectus argentea, venter, & femora ærea, tibiæ ferreæ cum pendenti digitis partim ferreis, partim fictilibus in quos incidens lapis de monte, sine hominum manibus avulsus, statuam totam contriverit penitus & comminuerit; indeque in montem excreverit tam vastum, ut orbem impleret universum. Et capite quidem aureo Assyro-Babylonicum, pectore argenteo Persicum, ventre æreo Græcum, ac pedibus, qua ferreis, qua fictilibus Romanorum portendi Imperium, hisque omnibus successum Regnum aliud longe augustius, stabiliusque, ut potest in omne ævum duraturum, prioribus singulis in nihilum tandem abituris. Hac somnii mystici interpretatione Rex totus attonitus, Danielem, tanquam Deorum aliquem, prono in terram vultu veneratur. Cumque is honores hos non sibi, sed DEO soli deberi asseverasset, Rex præmiis amplissimis cumulatum, cunctis Babylonianæ Provinciis præfecit.

3. Quid de tribus Danielis sociis Anania, Azaria, Misaële, sive Sidrach, Misach, & Abdenago, divinæ tradunt literæ?

Hi nulla ratione adduci poterant, ut auream Nabuchodonosoris statuam adorarent. Igitur Tyranni jussu in fornacem, septuplo vehementius, atque alias consueverat, succensam, ligatis pedibus conjiciuntur; unde tamen incolumes prorsus, ac ne capillo quidem adusto, sunt egressi. (3456.)

4. Quam Daniel pœnam superbo Nabuchodonosori subeundam prædictit?

Futurum: ut qui divinos adeo honores affectare ausus esset, infra homines abjectus, per agros, sylvasque

Pecudum more vagetur; ac annis septem fæno bovis instar vescatur. Quam prædictionem mox rei veritas comprobavit.

5. *Qua occasione Regi Balthasari Imperii Babylonici interitum denunciavit Daniel?*

Dum is splendidissimo de nocte convivio assidens, sacras etiam pateras e templo Solymæo ablatas mensæ inferri, atque in honorem Deorum suorum exsiccari jubet, ecce tibi! manus ad parietem juxta candelabrum, videntibus cunctis & cohorrentibus exarat: *Mane, Thbecel, Phares*, Cumque horum vim, ac sensum verborum, ne conjectura quidem assequi illus posset, Daniel protinus accersitus, Regi significat: Deum numerasse annos, quibus regnasset, operaque ejus omnia ad libram exegisse; quæ tamen justo caruissent pondere: itaque vita, & regno, in Medos, ac Persas jam nunc dividendo, exturbatum iri. Id quod eadem illa nocte factum, qua urbs Babylon capta ab hoste, cædibus, rapinis, incendiis vastata, Rexque ipse temulentus, cum suis est trucidatus.

6. *Num Judæi captivitatis suæ tempore durius, asperiusque sunt habiti?*

Quin potius leniter, clementerque fuisse acceptos, inde conjici posse videtur; quod eorundem tribules, nempe Daniel, Primus a Rege Nabuchodonosore, Ananias vero, Azarias, & Misael Provinciarum Præsides, & supremi tribunalium Præfecti fuerint constituti; atque adeo non auctoritatem modo summam, sed imperium quoque, servi licet, & captivi, in suosmet Dominos, mirabili DEI dispositione, obtinuerint.



## C A P U T I I.

Judæorum res gestæ sub Monarchis  
Persicis.

1. Qua ratione Judæi e diuturna sua captivitate sunt exempti?

Cum Cyrus, primus Persarum Monarcha, toto Babyloniorum imperio in ditionem suam redacto, ex Judæis intellexisset: in sacris eorum voluminibus multo ante & suam de Babyloniiis victoriam, & populi Judaici manumissionem prædictam fuisse, publico diplomate potestatem fecit omnibus in patriam remigrandi, templique restaurandi, redditis, quæ inde direpta erant, valvis. Igitur anno (3516.) quadraginta & amplius Judæorum millia Hierosolymam, Zorobabel ductore, sunt reversi.

2. Penes quos Judæorum erat regimen post eorundem in patriam redditum?

Imperium summum penes Reges Persarum erat, e quorum arbitrio, consensuque Pontifices, Duces, & Magistratus suis e tribulibus deligere Judæis permisum erat.

3. Quo tempore Urbis Hierosolymitanæ mænia reædificari cæpta?

Imperante Artaxerxe, quinto Persarum Monarcha, a quo Nehemias, Judæorum Dux, apud Regem gratiosus, hanc tandem facultatem impetraverat.

4. Quinam Judæorum Duces fuere sub Monarchis Persicis?

1. Zorobabel. 2. Joacim. 3. Eliasib. 4. Esdras.  
5. Nehemias. 6. Jojadas. 7. Jonathas, e quibus duo postremi cum suis successoribus Duces simul, ac Sacerdotes fuerant.

## C A P U T I I I.

Judæorum res gestæ sub Monarchis  
Græcis.

Memorandus hic 1. Status Judææ sub Alexandro Magno. 2. Sub Regibus Ægyptiis. 3. Sub Monarchis Syriis. 4. Sub Sacerdotibus, regium sibi titulum vindicantibus.

## §. I.

## Judææ status tempore Alexandri Magni.

1. *Quem in finem Alexander cum exercitu suo Hierosolymam contendit?*

Statuerat omnino, urbem hanc vi capere Alexander, quod Tyrum obsidenti anconam Judæi mittere recusasset. Verum ad conspectum Jaddi, cum Levitis Sacerdotali habitu obviam facti, totus repente immutatus, placatusque est.

2. *Quid Alexander Hierosolymis egit?*

Templum ingressus, supremo Numinis ex summi Sacerdotis præscripto sacrificasse perhibetur. Ajunt quoque: ostensum ei Danielis librum, in quo Græcum quondam Persas debellaturum Vates præfigerat. Nam ille prædictionem de se ipso interpretatus est.

3. *Quænam Judæis ab Alexandri obitu evenere?*

Calamitates, ærumnæque non leves ob Regum cum Ægyptiorum, tum Syriorum, Judææ id temporis dominantium Tyrannidem perpetiendæ ipsis erant.

## §. II.

Judæorum varia fortuna sub Regibus  
Ægyptiis.

1. *Quis Alexandro demortuo in Imperio successit?*

Monarchia hæc distracta mox fuit in regna complura, quæ Ducum præcipui inter se partiebantur. Ex his

his Macedonicum, Ægyptiacum, & Syrium præ cæteris eminebant.

2. Quænam Onias & Simeonis Pontificum temporibus gesta sunt?

Ptolemæus Lagi filius, Syria, Phœnicia & Judæa, cum urbe Hierosolyma sub imperium suum redactis, amplius centena Indorum millia in Ægyptum abduxit; e quibus triginta circiter bellatorum millia in urbium munitarum præsidiis collocavit: imbellem vero turbam senum, mulierum, adolescentium, milibus in servitutem tradidit.

3. Num melioribus auspiciis Eleazarus Pontificatum gessit?

Omnino; nam Ptolemæus Philadelphus, qui Lagidi parenti successerat, gentis Hebræe perstudiosus, multo eam favore complectebatur. Hic conquitis undique libris Bibliothecam longe celeberrimam Alexandriæ adornavit, quam ut Hebraicis quoque voluminibus augeret, ab Eleazaro Pontifice mitti ad se petiit viros apprime peritos, qui sacros illos codices e lingua Hebraica in Græcam transferrent. Is duos & septuaginta Græce simul ac Hebraice doctos, nec virtute minus, quam eruditione præstantes e senioribus delegit; qui, licet ex Auctorum gravissimorum sententia, separatis quisque cellulis inclusi essent, opus tamen hoc totum mirabili non sententiarum modo, sed verborum quoque consensione ita absolverunt ut singulorum exempla ne vocula quidem inter se discreparent. Quapropter Rex admiratione & gaudio plenus, non solum interpretes singulos muneribus amplissimis ornatos a se dimisit, sed vasa insuper plurima ex auro, argento que ad sacros templi usus liberali manu adjecit, omnibus, quos parens ex Judæis captivos detinuerat, libertate donatis.

4. Quinam Eleazaro vita & Pontificatu functio, Sacris præsuere?

Manasses, Eleazari patruus, hocque e vivis sublato,  
Onias

Onias II. qui sub Ptolomæo Philadelpho, & Everete, Ægypti Regibus, ætatem degebant tranquillam, & pacatam.

5. Num aque pacatus fuit Simeonis alterius Pontificatus?

Huic multum negotii facesserat Ptolemæus Philopater, Everetæ filius, qui dum Hierosolymam delatus non templo modo, sed ipsa quoque adyta, Simeone Sacerdote frustra dehortante, subire tentat, membris repente omnibus dissolutis, divinitus inhibetur. Nec tamen, ubi se collegit, à proposito destitutus; sed in Ægyptum cum atrocibus in Judæos minis profectus, ad Ægyptios ritus indignissimis modis quam plurimos compulit; eos vero, qui in religione firmi perstabant, elephantibus conculcandos objecit. Cui spectaculo Rex ipse semel, iterum, ac tertio interesse statuerat, sed primum sopore divinitus immisso, tum mentis alienatione, ac tandem geniorum cœlestium, qui minaci vultu spectabiles se præbuerant, interventu ab impio proposito absistere cogebatur. Quapropter Judæos vinculis solvi, ac suam quemque domum repetere jubet.

### S. I. Status Judæorum sub Regibus Syriæ.

1. Quid Onia III. Pontifice actum?

Cum Seleucus Philopator, Rex Syriæ, ex perfido transfuga intelixisset, ingentes opes ac thesauros in templo Solymæo reconditos esse, Heliodorum, unum e proceribus suis Hierosolymam misit, qui eas pecunias in regium ærarium transportaret. Ac licet Onias directori sacrilego pro virili se opposuerit; actum tamen egisset, nisi eques cœlestis cum binis pedibus à Deo submissis, Heliodorum flagris tam atrociter exceperisset ut is vitam servatan in lucro ponens, re infecta abire sit coactus. Onias porro fraude atque invidia Jasonis, fratri sui, sacerdotio primum dejectus, ac tandem Menelai, qui in Pontificatum se intruserat, perfidia, morte indignissima est sublatus. Inde Ecclesia Judaica legitimis Sacerdotibus sexennium orbata erat, donec scilicet Machabæi rite successere.

2. Quo

## 2. Quo in Judæos animo Antiochus Epiphanes fuerat ?

Iniquissimo ; hinc cum Judæi Duce destituti essent, horum Provincias, collecto ingenti exercitu, invasit, irritatus maxime, quod ejusdem mortem, uti mendax fama sparserat, non luctu, sed publicis gaudiis fuissent prosecuti. Expilata ergo Hierosolyma, amplius ducenta Hebræorum millia mactari jussit, haud multo paucioribus publico in foro pecorum more venum expositis. Atque hæc præludia duntaxat erant illius immanitatis, qua, biennio exacto, in Judæos defævit; quorum urbe primaria rursus direpta, & igne, ferroque vastata, sub mortis pœna vetuit : ne quisquam legem dehiac Mosai-  
cam profiteretur. Demum Jovis execrandi simulacrum in ipso templo adorandum proposuit, addito severo mandato, carnes ut eidem porcinas immolarent, & im-  
molatas absumerent.

3. Quinam ex Judæis illustriora fortitudinis specimina  
hoc maxime tempore edidere ?

1. Eleazarus virtute ac senio venerandus, qui pro avita religione mori maluit, quam iniquissimo Regis mandato in gustanda suilla morem gerere. 2. Septem fratres Machabæi, qui una cum Matre, ne supremi Numinis offensam incurrerent, extrema quæque perpeti decrevere. Ob quam animi constantiam tormentis immanissimis excarnificati, Matre inspectante, filiosque ad pugnam animante, gloria morte occubuere, quos demum & ipsa Mater, Heroina invictissima, ad eandem Martyrii palmam & triumphum secuta est. 3. Mathatias Machabæus cum viginti quinque suorum millibus Tyranno sepe ausus opponere, in fortitudinis theatrum prodit, nullis minis expugnabilis, Dux simul ac Sacerdos. (388.)

## 4. Quis Juda Machabæo Duce, armorum successus fuit ?

Longe optimus; nam is ingentes Antiochi copias profigavit, non tam armis, quam cœlestibus suppetiis, quas jejuniis ac precibus impetrabat, confisus. Antiochus, qui tunc bello Persico distinebatur, cognita suo,

rum clade , in furorem actus , consilium à celeritate cap-  
tit ; ratus : hac una negotium confici , ipsamque  
Hierosolymam everti posse , si quam oxyssime rebus  
suis afflictis præsens ipse succurreret . Verum in iti-  
nere viscerum dolore ingenti coreptus , furere si-  
mul , ac vivere desit . Judas , Nicanore quoque An-  
tiochiæ Eupatoris Duce devicto ; editoque non uno  
bellicæ fortitudinis specimine , tandem in pugna per-  
tinacissima contra Bacchidem , Demetrii Regis Lega-  
tum , vulneribus mortique , non hosti succubuit .

5. *Quid Jonathas Judæ Machabæi frater præclari gessit?*

Ductoris ille Hebræi simul , ac sacerdotis dignita-  
te præfulgens , Bacchidem debellavit , multis insuper  
palmis , ac trophæis inclytus . Tandem perfidia Try-  
phonis , Syrii Satrapæ , cuius promissis plus nimio fi-  
debat , occubuit .

6. *Cuinam , Jonatha sublato , Sacerdotis supremi  
dignitas delata est?*

Simoni ; Jonathæ , ac Judæ fratri . Is præliis ali-  
quot aduersus Tryphonem prospere gestis à Ptolomæo  
genero , qui Sacerdotali dignitati inhiabat , ipsas in-  
ter epulas , hunc in finem adornatas , trucidatus est .

7. *Quis Simoni successit?*

Tertius ejusdem filius Joannes , à domita Hyrcania ,  
ut quidem volunt , Hyrcanus appellatus . Huic satis  
quieto esse licuit , quod finitimi Reges Syriæ , atque  
Ægypti , duo antehac Judæorum flagella , aliis essent  
curis , armisque distracti . Sacram juxta , ac profanam  
Rempublicam annum unum & triginta felicissime ad-  
ministravit , rerum gestarum fama clarissimus , quem  
à Phariseorum secta ad Sadducæos transiisse Jose-  
phus Hebreus testatur ,

**De Statu Judææ sub Pontificibus, Regium sibi  
Titulum vindicantibus.**

**1. Quis post captivitatem Babylonicam Regis Titulum  
sibi primus adscripsit?**

Aristobulus Hyrcani filius, summus Judæorum Sacerdos, Regia insignia primus post Sedeciam sumpsit. Solium ut stabiliret, matrem in vinculis fame necavit, & fratrem Antigonom, tanquam regiæ, Pontificiæque dignitatis æmulum, ambitiosæ potissimum conjugis machinatione, è medio sustulit, reliquis fratribus detentis in custodia. Uno duntaxat anno Judææ præfuit, iterata sanguinis excreatione eo ipso in loco, ubi fraterno cruento manus imbuit, extinctus, (3951.)

**2. Quis ab his obitu Regnum cum Pontificatu  
obtinuit?**

Alexander Jannæus, à Salomone (quæ & Alexandra dicta est) Aristobuli fratris sui uxore è carcere evictus ad solium, quod horrendis postea suorum cedibus summopere funestavit; nam quinquagenis Judæorum millibus sexennii spatio contrucidatis, octingentos insuper Judæorum Proceres, qui ejus Tyrannidem palam improbaverant, crucibus affigi, & in eorundem conspectu uxores ac liberos mactari jussit. Tandem lentis febribus, ex intemperantia contractis, misere consumptus, interiit anno ætatis unde quinquagesimo.

**3. Quis Tyranno huic succedit?**

Salome Jannæi conjux, quæ post nonum gubernationis annum, filium natu majorem, Hyrcanum II. qui jam ante Sacris præerat, Regem constituit.

**4. Qualis fuit Hyrcani gubernatio?**

Varia & inconstans: cum enim regni negotia remissius curaret, Aristobulus frater illum armis victum,

regno exxit. Verum Pompejus, Romani exercitus dux, capta Hierosolyma, Hyrcano Pontificatum cum regno restituit, Aristobulo cum filiis Romam abducto.

5. *Quid Pompejus memoratu dignum gessit in Templo Solymæ?*

Postquam illud vi expugnavit, duodecim quidem Judæorum millia interemit; ex eo tamen nihil omnino abstulit: imo nec Sacerdotes, sacris operantes, ob templi reverentiam interturbavit.

6. *Quis Machabæorum ultimus regnavit?*

Antigonus, Aristobuli filius, Romano è carcere elapsus, ob arrogatum sibi Regis titulum, à Senatu artibus Herodis, hostis Reipublicæ declaratur, ac in publico foro Antiochiæ securi percutitur. Machabæorum e gente Rex ultimus, atque infelicissimus. (4014.)

## C A P U T . I V .

### D e rebus Judaicis sub Romanis Imperatoribus.

1. *Quomodo Judæa in Romanorum potestatem, ac ditionem redacta est?*

A tempore Judæ Machabæi Romanis fœdere quidem juncti erant Judæi, non tamen subjecti. At ubi Hyrcanus à fratre regno privatus, ope Pompeji illud precastio recepit; Judæa suam amisit libertatem, Romanis supremum in Judæos dominatum nunquam amplius dimittentibus. Itaque Judæa idem, quod aliæ hactenus Provinciæ, experta est Romanos ex armorum sociis, demum fieri populorum dominos.

2. *Quis extinctis Machabæis, Judæam rexit?*

Herodes Magnus nomine, flagitiis maximus. Hic et si ortu Judæus non erat; suis tamen affectionibus

bns, & largitionibus immensis ab Augusto Regnum obtinuit. (4017.)

3. *An Herodes, ejusque Successores supremi erant Iudææ Domini?*

Neutquam: secus enim Judæa in censum non venisset, cum Augustus orbem universum, in Romanorum ditionem redactum describi jussit. Parebat ergo Herodes Romanis, ut adeo Regis appellatio multum splendoris, potentiae parum haberet.

4. *Quo regnante Servator mundi in lucem fuit editus?*

Herodes Judææ tunc imperabat, qui cum ex tribus Magis cognovisset, novum Judæorum Regem natum esse, sceptro suo metuens, omnes circa Urbis Bethlehemiticæ confinia, parvulos, biennium nondum egressos, cæde inandita jugulari præcepit. Quo auditio, Augustus dixisse fertur: malle se Herodis esse porcum, quam filium; à porcorum enim cæde & sanguine Herodes, utpote Proselytus, religionis obtenuit abstinebat, non item ab hominum cæde.

5. *Quænam alia Herodianæ crudelitatis monumenta extant?*

1. Mariamnem conjugem, Principum Matronarum decus. 2. Alexandram socrum cum ejus filio. 3. Aristobulum, Alexandrum, & Antipatrum filios suos. 4. Judæorum optimates obtruncari jussit, addito etiam, cum de vita conclamatum jani esset, crudeli imperio: ut omnis Judæorum nobilitas, minacibus edictis in urbem Jerichuntinam convocata, circoque amphitheatrali inclusa, statim ab obitu suo contrucidaretur, ne videlicet sine publico, saltem ob aliorum cladem, luctu efficeretur.

6. *Quas pœnas Herodes etiam in hac vita dedit?*

Postquam cum innumeris gravissimisque infirmitati-

tibus diu est conflictatus, tandem morbo pedicula-  
ri, inter intolerabiles putrescentis corporis factores  
miserandum in modum absumptum est hoc generis  
humani probrum, omniumque flagitiorum monstrum.

7. *Quinam ex Herodis stirpe gubernarunt?*

Tres Herodis filii: Archelaus, Philippus, & Herod-  
es Antipas: qui ultimus Joannem Baptistam, incen-  
tas nuptias exprobrantem, obtruncavit: Servatorem  
vero nostrum, cum nullum ab eo, uti speraverat, impe-  
traret prodigium, instar emotæ mentis hominem lu-  
bibrio habuit.

8. *Quo tempore Servator noster cruci est affixus?*

Anno etatis trigesimo quarto, Tiberio imperante,  
& Pontio Pilato Judææ Præfecto.

9. *Quid Acta Apostolorum membrant de Herode Agrippa?*

Fuit is Herodis Magni nepos, iuratus Christianorum hostis. Jacobum, cognomine Majorem Hierosolymis capite minuit; idem supplicium irrogaturus Petro: nisi hunc Angelus, catenis solutum, edaxif-  
set e carcere. Porro Herodes hic eo dementiæ vene-  
rat; ut Cæsareæ in ludis solemnibus majorem hominem  
mortali sui venerationem prensans; Deum se ab infâ-  
na plebe adorari sit passus. Verum scismaticum hunc  
Deum, vindices à Deo immissi vermes haud multo  
post inter atrocissimos dolores, ita depascabant, ut  
ne hominis quidem speciem referret.

10. *Quis Regum Judææ postremus fuit?*

Agrippa Herodis Agrippæ filius, quem Judæi,  
excitato contra Romanos tumultu, primum Hierosolyma,  
mox toto regno expulerunt. Sic regnum Ju-  
daicum penitus extinctum, & translatum est ad Ro-  
manos, Hierosolymam, & omnem Judæorum gen-  
tem non multo post excisuros.

**II.** Quomodo Patriarchæ Jacob vaticinium: Non auferetur sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, fuit impletum?

Jam inde à David Rege, Duces Judæorum omnes è Judæ tribu orti erant usque ad Machabæos. Hi vero, licet è Tribu Levi, utpote Sacerdotes & filii Aaron, oriundi essent, censebantur tamen, vocabanturque Judæi partim ob genus maternum, quod ad Judam referebant partim ob insitionem & quasi adoptionem in Judæ Tribum, quæ a reditu e Babylone imperium non modo in Judæos, sed & in alios ex aliis Tribubus in patriam reversos, & communi exinde nomine Judæos appellari solitos, sola retinuit, donec illud Machabæis ob heroicam prorsus eorundem fortitudinem ultro detulit. Hi porro tamdiu rerum sunt potiti quoad sceptrum Juda translatum est ad Herodem alienigenam, quo regnante natus est Christus.

## Observationes

### Ad sextam Historiæ Biblicæ partem.

**I.** Quisnam sexta illa mundi ætate status erat Republicæ Judaicæ?

Regimen Politicum a tempore captivitatis Babylonicae plurimum de splendore pristinæ dignitatis amisit; cum exinde Judæi nunquam amplius sui juris, sed primo Assyrio Babyloniorum, deinde Persarum; tum Græcorum, ac demum Romanorum aut servi, aut stipendiarii fuerint. Toto autem tempore illo, quo sub Idololatrarum potestate erant, ab idolorum cultu alieniores fuerunt; sive quod Sacerdotes Rempublicam tunc administrabant; sive quod diuturna illa 70. annorum vexatio, & præcisa deinceps libertas ad sanatoria eos compulere.

2. *Quis reliquo in urbe rerum cursus erat?*

Respubl. profana aliam atque aliam faciem identi-  
dem induebat, Deo, propter imperantium maxime  
flagitia, Regna atque Imperia è gente in gentem trans-  
ferente. Sic Monarchia Assyriorum post Sardanapali  
interitum divisa est in regnum Medorum: & post an-  
nos fere centum in Imperium Assyrio Babylonicum;  
donec sublato Balthasare tota hæc Monarchia transla-  
ta est ad Persas, ab his post annos ducentos & octo ad  
Græcos: à Græcis post terna secula tandem ad Roma-  
nos. Ex omnibus porro his regnis amplissimis, & po-  
tentissimis cultus veri Numinis exulabat; idolatria  
ubique dominante.

3. *Quinam Prophetæ id temporis in Iudæa floruerunt?*

Post captivitatem Babylonicam, Aggæus & Zachari-  
as: & post hos Malachias vaticinatus est; à cuius obi-  
tu publica Prophetarum oracula siuere per annos pro-  
pe quingentos, quoad Patris æterni Verbum, & Pro-  
phetarum Dominus hunc in mundum ipse adventa-  
verat.

4. *Qui, qualesque Machabæi fuere?*

Hi, ex illustri Iudæorum prosapia oriundi, sacra-  
simul ac profanam Rempublicam, à Mathathia ad He-  
rodianos usque, moderabantur.

## APPENDIX.

## De excidio Urbis Hierosolymæ

1. *Cur Argumentum hoc annexitur narrationibus  
Biblicis?*

Quia ordo, seriesque Historiæ exigit, ut, sicut po-  
puli à Deo electi fortunam utramque ab ipsis primordiis

percensuimus, ita exitum quoque memoremus, qui  
quam luctuosus fuerit, inde patet: quod ipsi Dei filio  
lachrymas expresserit.

2. *Quænam tragiæ hujus excidii causa erat?*

Non tam rebellio contra Romanos, quam mors ipsa  
Auctori vitæ Christo illata: hinc Christi cultores, ne  
eadem cum Judæis ruina involverentur, divino oracu-  
lo moniti, in tutiora se tempestive receperunt, futuri  
spectatores, & testes scenæ luctuosissimæ, quam divi-  
na Nemesis adornavit ad Divinitatem Christi, tum ex-  
horrendis Judæorum suppliciis, tum ex divinis ora-  
culis, ad literam completis, comprobandam.

3. *Cur per Romanæ Urbs expugnanda fuerat?*

Quia Judæi repudiato vero suo Rege, ac Messia, Re-  
gem se alium, nisi Cæsareum habere uno omnes ore con-  
clamarunt: atque hac demum ratione Præsidem Ro-  
manum ad Christum, quem is omnino infontem pa-  
lam pronunciaverat, occidendum perpulerunt. Ple-  
tandi igitur erant per Cæsarem, quem Regi ac Mes-  
siæ suo impie prætulerant. Ne vero Judæi Urbis suæ  
excidium adscriberent Romanorum furori, Deus ju-  
stitiae suæ instrumento usus est Tito, mitissimi ingenii  
Principe. qui post honestissimas, quas non semel ob-  
tulit, Urbis delendæ conditiones rejectas, cœlum,  
terramque contestatus est: invitum plane compelli-  
se ad urbem, ac Templum evertendum.

4. *Cur pæna hæc Judæis non illico post Christi mortem  
fuit inficta?*

Quia Nemesis divina lento plerumque passu gradi-  
tur, & diu ante, quam feriat, minatur. Hinc ut spa-  
tium resipisciendi suppeteret, ostenta quædam, tan-  
quam futuræ cladis præludia, antecessere.

5. *Quænam illa?*

1. Cometes horrificus anno toto, fulgurantis instar  
gladii, Urbi impendens. 2. Lux ingens solari similis,  
cir-

circa Templum dimidiæ horæ spatio noctu effulgens,  
 3. Porta Templi ærea, vix à viginti viris claudenda,  
 nocte concubia ultro patefacta. 4. Conspicti in aere  
 currus ignei, & infestæ præliantium acies. 5. Audita  
 in Templo vox horribilis Angelorum clamantium:  
*Migremus hinc!* 6. Vir è plebe, cui JEsu nomen, per  
 annos septem urbem circumuersans, & diu noctuque  
 ingeminans: *Væ! vae Hierosolymis!*

6. Quando, & à quo Urbs oppugnata est?

Anno à Christi morte trigesimo septimo Titus, Romani Imperatoris Vespasiani filius, ipsis feriis Paschalibus in summa hominum celebritate Urbem repente obsedit. Atque ut hæc Dei cæde contaminata civitas vincere ut sæpius, funditusque everteretur, post intestina bella, factiones cruentas, mutuans civium & Sacerdotum strages, ipsisque summi Pontificis cædem, post annonam in plures annos suffectoram fortuito incendio absumptam, ortamque inde famem, & ex hac pestilentiam atrocissimam, quarto obsidionis mense capta primo est Urbs inferior, binisque post diebus Templum, contra Titi edictum igne, nulla vel Imperatoris diligentia. vel ope humana sopiendo; conflagravit; ac tandem urbs superior, occupata est; omnibus, quæ illuc tanquam in locum tutissimum compotabantur, ferro, flammaque abolitis.

7. Quid in tristi bac Urbis excisione præcipua consideratione dignum?

Pœna talionis, qua Nemesis divina in Judæos Deicidas animadvertisit. Nam 1. in Oliveti monte initium olim datum erat sacrilegæ illi immanitati, qua Christus Iatronis instar à militum cohorte fuit comprehensus, eodemque in loco Urbs corona cingi cæpta. 2. Christus ipse feriis Paschatis ab innumerabili multitudine ad diei festi celebritatem Hierosolymas convolante, circumcessus, probrorum, contumeliarum, cruciatu

um , & tormentorum acerbissimorum scopus fuit ; iis  
 demque feriis , quibus vices centena ; & septingenta  
 millia Judæorum in Urbem , velut omnis jam periculi  
 securam , confluxerant , hæc arcta undique obsidione  
 pressa , & coangustata fuit . 3. Christus à Judæis captus  
 est , capti quoque sunt nonagies septies mille Judæi .  
 4. Christus arcta custodiae est inclusus , Judæi ne quis  
 elabi posset , novo muro totam Urbem ambiente , qua-  
 si indagine , ferarum instar fuere , conclusi . 6. Christo  
 ardentissima siti excruciatu fel , & acetum propinaba-  
 tur ; Judæi rabida fame stimulante , eo adigebantur ,  
 ut calceamenta , cingula , scutorum coria , simum & fœ-  
 diffissima queque , imo & humanas carnes avidissime vor-  
 rent . 7. Christus omnibus ludibrio fuit , ac despiciuntur ;  
 perfida Judæorum gens adeo contempta ubique , &  
 conculcata jacet : ut probrosius prope sit ; esse Judæum ,  
 quam furem , latronem ; hæreticum . aut gravissimis  
 quibusque flagitiis notatum . 8. Christus fuit Cruci af-  
 fixus ; horum amplius quingenti quotidie in crucem  
 sunt acti ; ut jam spatium deesset crucibus , & corpori-  
 bus cruces . 9. Christus tandem à Judæis est occisus ;  
 Judæorum in illa obsidione undecies centena millia  
 interisse dicuntur .

*8. Quæ Judæorum post Urbis eversiouem fortuna ?*

Secuta est servitus secundum Danielis vaticinium  
 nunquam desitura . Unde exuti Templo , sacrificiis , ur-  
 bibus , fundis , & prædiis : errabundi , extores , sine lege ,  
 sine Rege toto vagantur orbe , perpetuo notati stigma-  
 te , repulsi a Magistratibus , aliisque publicis officiis ,  
 & dignitatibus , veluti orbis totius purgamenta , &  
 carcinomata .

*9. Nunquam Templum instaurare sunt aggressi ?*

Tentarunt id semel , atque iterum , sed maximo suo  
 periculo , & detimento ; nam dum , imperante Ha-  
 driano , anno post Christum natum centesimo trigesi-  
 mo

mo quarto , novas idcirco turbas concitarent , centum  
 Judæorum millia occisione deleta sunt , reliquis peni-  
 tus profligatis , perque orbem universum dispersis . Ad  
 hæc cum circa annum Christi ter centesimum sexage-  
 simum tertium , favente Juliano Apostata , Templo in-  
 staurando manum admoverent , flammei globi è fun-  
 damentis erumpentes , instrumenta fabrilia absumpsé-  
 re , & rubræ crucis in operarum vestibus conspicuæ ,  
 cæptis absistere , crucisque trophæum circumferre  
 vel invitatos compulere .

Atque hunc tandem exitum habuit Respublica He-  
 bræorum , post tot vicissitudines populi , ante à Deo  
 electi , tot contra hostes prodigiis servati , singulari  
 Numinis tutela protecti , ac demum à Deo penitus  
 reprobati , uti multis ante sæculis Daniel prædixerat  
 c. 9. Et Civitatem , & Sanctuarium dissipabit populus  
 cum Duce venturo , & finis eius vastitas , & post  
 finem belli statuta desolatio .



Tabula Chronologica , seriem  
Patriarcharum , Judicum , Regum  
& Pontificum complectens.

Prima mundi ætas ab Adamo ante Diluvium.

Patriarchæ ante diluvium.	An. Nativ.	Vitæ.	Mor- tis	Synchronismus Monarchiarum.
Adam - - -		930	930	
Seth - - -	231	912	1042	
Enos - - -	236	905	1149	
Cainan I. - - -	326	910	1235	
Malaleel - - -	396	895	1290	
Jared - - -	461	962	1422	
Henoch - - -	623			
Mathusalem - - -	698	969	1656	
Lamech - - -	875	777	1651	
Noë - - -	1037	950	2006	
Sem - - -	1559	690	2158	

Secunda Mundi ætas post Diluvium usque  
ad Abrahamum

Arphaxad - -	1649	438	Initium Monar-
Cainan II. - -	1694	360	chiæ Assyrio-
Sale - - -	1724	413	rum sub Nem-
Heber - - -	1754	464	rodo anno ab
Phaleg - - -	1783	239	orbe condito
Ren - - -	1818	239	1879.
Sarug - - -	1850	230	
Nahor - - -	1880	148	
Thare - - -	1909	205	

Tertia mundi ætas ab Abrahæ nativitate  
usque ad Moysen.

Patriarch. reliq. usque ad Jud.	Anni Nativ.	Vitæ	Synchronismus Monarchiarum.
Abraham -	2039	175	
Isaac - - -	2139	180	
Jacob - - -	2199	147	
Joseph - - -	2289	110	
Levi - - -	2285	137	
Caath. - - -	2318	133	
Amram - - -	2381	137	
Aaron - - -	2461	122	

Quarta mundi ætas. Judices Hebræi.

Judices He- bræi.	Anni Nativ.	Regi- min.	usque ad an.
Moyses - - -	2464	40	2584
Josue - - -	2416	17	2600
Othoniel -		40	2640
Aod - - -		80	2720
Debbora - -		40	2760
Gedeon - -		40	2800
Abimelech -		3	2803
Thola - -		23	2826
Jair - - -		21	2848
Jephte - -		6	2854
Abesan - -		7	2861
Ajalon - -		10	2871
Abdon - -		8	2879
Samson - -		20	2899
Heli - -		40	2939
Samuel - -		22	2962

## Quinta mundi ætas. Reges Hebræi.

Reges.	Anni Reg.	usq; adan.	Reges.	Anni Reg.	usq; adan.	Synch. Monar.
Saul	17	2979				
David	40	3019				Pro-
Salomon	40	3059				gressus
<i>Reges Juda.</i>			<i>Reges Israel</i>			Monar.
Roboam	17	3076	Jeroboam	21	3081	Affyr.
Abias -	3	3079	Nadab	1	3082	
Afa - -	41	3120	Baafa -	23	3105	
Josaphat	25	3145	Ela -	1	3106	
Joram	4	3150	Zamri -		3106	
Ochozias	1	3151	Amri -	11	3117	
Athalia	6	2157	Achab -	22	3138	
Joas - -	39	3196	Ochozias	1	3139	
Amasias	29	3225	Joram -	12	3151	
Ozias -	52	3277	Jehu -	28	3179	
Joatham	16	3293	Joahaz	16	3195	
Achaz	15	3308	Joas -	16	3241	Finis
Ezechias	29	3338	Jerobo. II.	41	3251	Monar.
Manasses	54	3392	<i>Interreg.</i>	11	3262	Affyr.
Amon -	2	3394	Zacharias	M. 6.	3262	sub Re-
Josias -	31	3425	Selum -	M. 1.	3262	ge Bal-
Joachaz	M. 3.	3425	Manaché	10	3274	thasare
Joakim	11	2436	Phaceias	2	3277	1516.
Jechonias	M. 3.	3437	Phacee	20	3279	
Sedecias	10	3446	Oseas -	18	3314	

## Sexta mundi ætas. Pontifices Hebræi.

Duces & Pontifices.	Anni Reg.	usque ad an.	Synchronismus Monarchiarum,
<i>Captivitas Babylonica.</i>			
Babylonica.	70	3516	Initium Monarchiæ Persicæ sub Cyro 3516.
Zorobabel -	51	3567	
Joachim - -	22	3589	
Eliatib - - -	6	3595	
Esdras - - -	5	3600	
Nehemias -	29	3629	
Jojadas - - -	20	3649	
Jonathas -	40	3689	
Jaddus - -	41	3730	
Onias I. -	23	3753	Initium Monarchiæ Græcorum sub Alexandro
Simon I. -	12	3765	M. 3724.
Eleazar -	32	3797	
Manasses -	10	3807	
Onias II. -	14	3821	
Simon II. -	25	3846	
Onias III. -	36	3882	
<i>Interregnu. Machabæi.</i>	5	3887	
Mathathias	1	3888	
Judas - -	6	3894	
Jonathas - -	18	3912	
Simon - -	7	3919	
Joan. Hyrc.	31	3950	
Aristobul. Rex	1	3951	



## Sexta mundi ætas. Pontifices Hebræi.

Dnces & Pontifices.	Anni Reg.	usque ad an.	Synchronismus Monarchiarum.
Alexand. Jan.	24	3975	
Hyrcanus -	23	3988	
Aristobul. II.	3	3991	Initium Monarchiæ Romanorum sub Augusto
Hyrcan. II.	23	4014	2024. quo imperante
Antigon.	3	4017	natus est Christus 4053.
<i>Herodiani.</i>			
Herodes Rex	37	4055	
Archelaus -	6		
Agrippa I. -	41		Excidium Urbis Hierosolymæ anno post Christum natum septuagesimo.
Agrippa II. -	21		



